



BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE
14
33 K
K 16

Ex

[illegible]

[illegible]

[illegible]





OPVS FAC
EVANGELISTAE
OTECTORI
FVNDATORI

THEOREMATA AC PROBLEMATA EX SACRA THEOLOGIA VNIVERSA DEPROMPTA

A IACOBO MARCHISETTO PISAVRENSE

AD ILLVSTRISS. ET REVERENDISS.
D. D. EVANGELISTAM PALLOTTVM
S. R. E. Card. Cusentinum, Basilicæ
Principis Apost. Archipresbyterum
S. D. N. SIXTI PAPAE V.
PRODATARIVM.






Disputabuntur publice triduo, in Colleg. Rom. Societatis Iesu, Mense Prima die hora Secunda die hora Tertia die hora Dabitur vnicuique Argumentandi locus.

ROMAE,
Typis Bartholomæi Bonfadini, M D. LXXXIX.
SVPERIORVM PERMISSV

ILLVSTRISSIMO
AC REVERENDISSIMO D.D.
EVANGELISTÆ PALLOTTO
S. R. E. CARD. AMPLISS.



IACOBVS MARCHISETTVS PISAVRENSIS S.



D Hemicyclos illos, & celebritates Rhetorum, quorum vberrimũ tulit ętas noſtra prouentum, animi gratia perſæpe ventito Evangelista Card. Ampliſs. Hic qui diſertiſſimus inter eos viſus eſt, ceteris è ſubſelliis audictibus ex inſtituto veterum ſophiſtarum de loco ſuperiore aliquem exornat dicendo virum, quem ad cęlũ virtus, memoria, fama, cõſenſus euexit. Nihil in fuſa illa oratio nis volubilitate ſalebroſum, nihil aſperum, nihil iniucundum cadit, omnia quadrantur in numerum, omnia ſuauiter ad aures illabuntur: tum ipſæ ſententię nitent: ſententiis par dignitas reſpondet, & magnificentia verborũ. Velut hoc ipſum, (ſum enim ex illorum audientia recens) modo copioſe tractabatur & ſplen dide. nam cum illorum quidam ſic inſtituiſſet dicere; vt, quę virtutum quaſi ſemina ſeuiſſet in mortalium animis Deus, quò naturæ tanq; infixa radicibus adoleſcerent, & corroborarentur, & præſidia requiri, & ſtudia Principum putaret; reliqua eodem filo ita pertexuit, vt permulta in hanc ſententiam ex omnibus antiquitatis annalibus memoriter vſurparet exẽpla ſummorũ virorum, quos ad magna natura feciſſet, ad maxima Principes extuliſſent. Ergo Sapientum & Principum amicitias, Poetarum etiã carminibus decantari. Nam illos gaudere dicebat Hieroni, & Pauſaniæ Lacedæmoniorum Regi Simonidis Poetæ fa miliaritatẽ adiicere: Periandrũ Corinthium cum Mileſio Thalete coniungere. Periclem, & Anaxagoram, Cræſum, & Solonẽ

vnà celebrare consuesse: Dionysio Platonem, Philippo Aristotelem, Alexandro Callisthenē adiungere: Scipionibus Enniū, Archiam Lucullo, Pompeio Possidoniū. Quid cum Creontem Minoa, Agamemnonem Palamedem, Iouem ipsum Poetę ceci nerunt: nonne statim Tiresiam, Polydum, Nestorem, Vlyssem, Prometheum in clientelam, & gloriæ societatem vocant? At alteri potentes, alteri sapientes fuerunt: Quorum alteri firmati viribus nominis nobilitatem, aut sibi pepererunt quam non habebant, aut partam amplificauerunt. Ita summum futurum nihil ad summum illud excreuisset sine clarissimorum Principū, vel auctoritate, vel opibus. Quod quidem ab illo probabiliter Rhetorum more disputatum, adeo nobis euidens vsus effecit; vt solē in manibus præferre videamur, si sic dicamus, me, quantū alios ingenij quidā celeres motus, quantum doctorum institutio diuturna, quantum commouit cupiditas gloriæ; tantum ex eo tempore, quo tu me Pater Optime recepisti ad studia litterarū, quò ardentissime ab ipso penè exortu ferebar, ardentius esse tua dignatione tanquam aliquo instinctu numinis incitatum. Itaque quiddam ausi sumus, quod cōsuetudinem disputationum reputanti, insolens: nostras vires metienti, perdifficile videatur. Volumen enim bene plenum edidimus positionum nostrarum duobus ferè millibus Theologicarum assertionum frequentatum, ex iis quācunq; susceperit incertus Antigonista labefactandam pręstituri: Patrocinium sanè nobis, vt ad memoriam gloriosum, sic ad experientiam periculosum. Etenim & nouo exemplo nullo auctore nos primi rem tātam aggredimur, & est profecto aliquid de supera omni, diuinaq; natura tam multa, tamq; diuersa, tam procul à sensibus, & suspicione semota, definitione circunscripta, ratione conclusa, audere quempiam libere palam in doctissimorum nostræ memoriæ virorum consessu insuper profiteri; & ita profiteri, vt quicquid in controuersiam pugnacissimè vocari potest (quid autem non potest?) id constantissimè tueatur, aduersantia diiudicet, ambigua distinguat, enodet implexa, pugnantia repellat, enudet obscura, à certis incerta secernat, visa repudiet, vera dignoscat, nihil cum multitudine opinetur, denique sapienter omnia quæ sumpserit, quæ

posuerit,

posuerit, certo fine comprehendat, & ratiocinatione demonstret: quod negotium & arduum est suapte natura, & ingenij diuinitatem quandam efflagitat, & laboriosam, diuturnamq; disciplinam: quorum alterum natura nobis, alterum ætas denegauit. Nam ante biennium vix quartumdecimum ætatulæ nostræ annum expleueramus: & tamen de ingenij laude nobis in Philosophorum puluere decernendum fuit: nunc biennio post, decimum annum & septimum vix attigimus, & in maiore famæ discrimine periclitamur: hoc est per ætatem vix dum sapere licuit (si modo sapimus) & inter summos Philosophos, prętantissimosque Theologos ea sapere cogimur, quę longissimè sunt ab omni materia, & humanitatis nostræ affinitate segregata. Quod equidem non ea gratia prædico, quasi de me magnificè sentiam, sed illud vt palam fiat Cardinalis Amplissime, quod modo dicebatur, me ex quo die ad Asylum confugi auctoritatis tuæ, cuius tu re potius quàm nomine delectatus naturam magis quam personam geris, sic esse, vel dignitatis tuę luce recreatum, vel facibus humanitatis incensum, vt plus aliquanto suscipiamus interdum, quàm alicui fortasse videamur ferre posse. Ac nos quidem ipsam periculi quam subimus aleam videmus, & negotij difficultate deterriti à suscepto consilio penè recedimus: sed vrget illa, vrget quæ tenuem fortunam nostram primum respexit, deinde nos, vt hæc auderemus excitauit, nunc reficit, & confirmat humanitas. Et vero tantum virium ex præsenti sensu ad id periculi mihi præsagit animus futurum in oculis, aspectuque amplitudinis tuæ, quantum, vt bellum suasit, sic victoriam adpromittat. Nullum tam præsens periculum impendebat, nullum iter tam arduum, nullum tam anceps, periculosumq; bellũ aggrediendum fuit, quod Alexandri miles vnquã reformidarit; modo Rex ille rerũ gestarũ magnitudine magnus omen, & auspicium pręsentię suę daret. Tantum valebat apud militũ animos opinio de illius Regis virtute, fortunaq; pręcepta. Simile quiddam Cardinalis Amplifs. nos etiam in re dissimili sentimus, te auspice, te auctore dissimili. quid .n. illius purpurã cũ tua conferam? quid illius lauream contendã cum tuis præstantifs. di-

gnitatis

gnitatis insignibus? quid triumphalia illa ornamenta & postremæ nequitię sordibus inquinata, & suorũ, ex terarũq; gentium commaculata sanguine confligant cũ tuis, quę pax & virtus peperit, quæ pax & virtus amplificat, quæ diuinus humanusq; cõsensus illustrat? Est, est profectò aliquid (quid illud sit, sentio magis quàm iudico) est inquã aliquid in tua ista felicitate virtutis apud summum præpotentẽ terrarũ Dominum ab optimis initiis, felicioribus incrementis enutrita: recreat inquã me, recreat virtus ista omnium opinione, constantiq; sermone percelebris, cum augustiss. dignitatis splendore condecorata, tum ad illa vocata momenta rerũ, quibus religio mortaliũ, salusq; constat. Nam cum Princeps ille Terrarum, gentium parens, rerum superarum SIXTVS interpres opt. & felicissimus, laudes illas tuas iam à multo tempore perspexisset: cum illam morum seueritatem omni humanitate cõditam, illã singularẽ in capiendis consiliis prudentiã, constantiã incredibilẽ in peragendis, & mentẽ illam ciuilis iuris, & pontificij, & per multa rerum humanarũ diuinarumq; notitia illustratam: cum hæc inquam omnia Parens opt. deprehendisset; dignissimũ iudicauit, quẽ per omnes titulos eductum ad id fastigium dignitatis accerseret, quod habetur inter mortales ad cultũ sanctissimũ, grauissimũ ad auctoritatẽ, ad splendorẽ ornatissimũ. Etenim cum te primũ ex intimo Capellano, à secretis, vt aiunt, & supplicum libellorũ muneri præfecisset; ita in multiplici illa, difficiliq; prouincia tua desudauit industria; vt viderent omnes plura te ferre posse quàm ferres, & ea ferre quæ paucissimi potuissent. Itaq; non ita multo post in lectissimũ illum vtriusq; signaturæ Referendariorum ordinem conscriptũ, sacræ Pænitentiariæ sigillo præfecit, & inde continuo ad maiora transcripsit. Nã cum ex eo Magistratu, quẽ Datariatum vocãt, vir integerrimus ad Cardinalatus Apicem assumptus fuisset; cumq; Pontifex vigilantiss. circunspiceret, anquireretq; tanto muneri parem, qui molẽ illam negotiorum paribus animis, & viribus sustineret, in multis reperit pręter te neminẽ. Nec longum tẽpus, & perspectũ est quantũ fides, integritas, consiliũ, auctoritas, pietas, sanctitas apud te posset, quem non congerendarum opum cupiditas dimoueret

moueret

moueret; nec præpotentium amicitiæ & munera labefactarent, nec simultates inflecterent, nec otium à negotio, nec cōmodum ab officio reuocaret. Ergo non longissime vocandus fuit, non ab vltimis terris educendus, habebat domi, & in ornatissimo Vaticanæ Basilicæ Canonicorum ordine, quem SIXTVS omni memoria, dum litteræ loquentur, perhibendus, Cusentinorum Ciuitati peruetustæ, & viris sanctitate insignibus, doctrinaque & bellica laude præclaris Archiepiscopum nominaret; quò cum tu ad perlustrandam componendamque prouinciam properares, ad Vrbem ab ipso penè cursu retractus es, quasi parentem Optimum pæniteret, industriam istam atque solertiam cum omni genere doctrinę, sanctitatisque coniunctam, saluti tantum, & commodis vnius prouinciæ præesse, quem iam tum ab incunabulis Christianæ Reipublicæ vniuersitas flagitarat. Hic igitur consentienti omniū voluntate, optatissima bonorum gratulatione Cardinalis renunciatus es. quo statim omniū sermone celebrato facile cognitū est, quantū interesset inter fortunæ (vt ita dicam) cliētes, & inter sapientiæ candidatos; & inter eos qui ad honores irrepūt opibus nobilitatis, & eos qui ad honores accedunt commendatione virtutis. Nam cum eodem tēpore nonnullos tecū summus Parens ad clarissimū istum ordinem conuocasset, quos gentilis purpura, quos trabeę, quos generis claritas, & ab vltima antiquitate sanguinis repetita primordia cōmendarent; ita inter illos tuę virtutis forma pręluxit, ita tibi virtutis opinio suffragabatur, vt facile fortunę suffragijs non indigeres, & præsidiis nobilitatis. Quare cū primū potuit, statim Pontifex Opt. Max. alio indicio declarauit quantū fidei tuæ cōmitteret. Nam te Alexandro Farnesio non solum in amplissima Basilicæ Principis Apostolorum Archipresbyteratus dignitate succedere voluit; verùmetiam in Procuratione admirandi ædificij quam vir ille & paulò ante Io. Moronus Cardinales duo vestri Collegij lumina præclarissima, duo columina firmissima Christianæ Reip. summa cū laude tenuissent. Quod quidē à summis Architectis descriptum pridem à multo tēpore inchoatum, maximis operibus affectum, diutissima molitione properatum, iam tandem ad iustum culmen, & fastigium

SIXTO Principe, & auctore Regifico sumptu, te vrgente maxime incredibili celeritate festinat. Hic ego latissimum video, apertissimumque campum, in quo exultare & triumphare gestit oratio: sed non cōmittam, vt extra fines suos euagetur Epistola. Quocirca mittam reliqua, quæ & innumerabilia sunt, & præclarissima. Non excelsissimæ dignitati pares animos tuos, non istā conspirationem laudum & quasi concentū ex multis virtutibus tanquam sonis vsu, & moderatione temperatum, non mentem istam, & vltra fines humanæ conditionis elapsam, nec humanæ conditionis oblitam, non æquabilem conscientiam bonorum omnium, neque placentem sibi neque displicentem, non hominibus tributa commoda, non salutaria consilia commemorabo, non augendæ religionis, non corrigendorum morum ad veteris disciplinæ normam studium & diligentiam, non Sanctimonialium familias institutas & annuis fructibus stabilitas, non denique templa, vel ad magnificum, religiosumque nitorem exculta, vel à fundamentis ingentibus sumptibus excitata, quę nos aliàs, & fortasse melius exequemur: sunt enim operę longioris, & temporis. Ex his porro quæ attigimus cum bonorū omnium, tum Pontificis optimi, & sapientissimi grauissima, & singularia iudicia colligimus de tua fide, virtute, grauitate, constantia; vt nobis propè nefas videatur futurū, si verearmur ne tu tuo pręsidio sis cadentē subleuaturus, quē iacentem, erexeris. Accipies igitur opus hoc vigiliarū nostrarū per te lucubratū, tibi debitū, testimoniū voluntatis erga te meæ, monumentū benignitatis erga me tuæ. Quod si non despexeris, satis habuero; si respexeris, lætitia gestiā; si probaueris, digito cœlū attingā. Vale Cardinalis Amplissime, vt te Deus Opt. Max. in terris diutissimè seruet incolumem, felicissimeq; fortunet: & simul hoc habeto, meam domusq; nostræ fidē, & diligentiam, industriā, assiduitatem ita desponsam, & consecratam esse dignitati tuæ, vt acerbissime mihi videar victurus, nisi multis argumentis officij nostri omnes intelligant muneris, & beneficentiæ tuæ fuisse quod sapimus, quod intelligimus, quod publicum non fugimus, quod inter doctos hiscere audemus, quod in doctrinæ luce versamur. Vale.

INDEX

INDEX



1 *Deum esse non est per se notum quoad nos, sed quoad naturam: neque demonstrari potest demonstratione propter quid: sed demonstratione quia.*

2 *Ex creaturis non possumus perfectè cognoscere Deũ secundum suam essentiam, cognoscimus modo via remotionis, causalitatis & eminentiæ.*

3 *Deus corpus non est, nec corpore constans, nec ex materia & forma, neque ex essentia & esse.*

4 *Neq; verò componitur ex genere & differentia, neq; directè, neq; reductiuè, ex quo fit vt definiri non posit: neq; habet accidens aliquod. Est igitur in omni realis simplicitatis genere simplicißimus.*

5 *Eius summæ simplicitati accedit summa perfectio, quæ omnes rerum omnium perfectiones eminentißimo modo continet: quæ quidem sunt simpliciter perfectiones, sunt in ipso formaliter: quæ verò secundum quid, eminenter tantum.*

6 *Perfectiones simpliciter communicatæ creaturis, de Deo, & creaturis, analogicè primo de Deo; secundario de creaturis dicuntur.*

7 *Creatura perfectior non continet eminenter perfectiones creaturæ inferioris, nisi eas, quarum est causa æquiuoca.*

8 *Creatura non potest esse similis Deo nec genere, nec specie; sed tantum secundum quandam analogiam, quatenus esse est vtrique commune analogicè. Deus aũt nullo modo dicitur similis creaturæ.*

9 *Deus est summè bonus simpliciter in omni genere, & per essentiam, quod quidem nulli creaturæ communicare potest, neque etiam de potentia sua absoluta.*

10 *Vnumquodque dicitur bonum à diuina essentia tanquam principio exemplari, efficiente, & formali per similitudinem ac participationem diuinæ bonitatis sibi intrinsecam.*

11 *Deus est infinitus non secundum materiam, sed ex parte formæ, & essentiæ, & in genere entis: & hoc non modo fide credimus, sed metaphysica ratione cognoscimus.*

12 *Repugnat diuinæ omnipotentiæ condere creaturam infinitam per essentiam; imo nec potest esse creatura infinita, nec in materia nec in forma, nec in magnitudine, nec in multitudine.*

13 *Deus est in omnibus rebus non contentus; sed eas continens, & super omnia per excellentiam, totus in toto mundo, totus in singulis partibus totalitate non quantitatis, sed essentiæ.*

14 *Est vbique totus nullibi conclusus, cum sit illocalis: ideo si vsus loquendi admitteret; dicendum esset potius ipsum esse cum loco, quàm in loco.*

15 *Deus non est in vacuo, neq; in spatio imaginario; sed in omni creatura per essentiam, præsentiam, & potentiam; in intellectuali per gratiam, in Christo per vnionem hypostaticam.*

16 *Esse vbique conuenit Deo, ita vt hoc nulli creaturæ conueniat.*

17 *Deus est omnino immutabilis, ita vt hanc immutabilitatem nulli creaturæ communicare possit: nam omnis creatura ab eo mutari potest, qui sine vlla sui mutatione omnia mutat.*

18 *Immutabilitatis & æternitatis attributa ratione distinguũtur & esse æternũ, ita proprium est Dei; vt etiam si creaturam ab æterno produxisset, eo tamẽ modo quo Deus æternus est, æterna nõ esset.*

19 *Quatuor sunt in vniuerso durationes: æternitas, æuum, tempus discretum, & tempus continuum: æternitate Deus, æuo Angeli & rationales animæ, tempore discreto angelorum liberæ operationes continuo sublunaria mensurantur.*

20 *Aeternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio, & ea participata mensuratur visio beatifica diuinæ essentiæ.*

21 *Deus est summè vnus ea vnitate, cui opponitur multitudo opposita simplicitati: est autem vnus vnitate numerica, quamuis sit in pluribus personis.*

22 *Et si Deus est secundum se summè cognoscibilis; nulla tamẽ creatura eius essentiam naturali virtute clare intueri potest.*

23 *Homines & Angeli possunt videre diuinam essentiam; quia ad eam videndam habent capacitatem secundum potentiam obedientialem.*

24 *Homo potest habere appetitum naturalem elicitum inefficacem ad videndum Deum ex viribus naturæ; efficacem verò non potest sine supernaturali auxilio Dei.*

25 *Ad videndum Deum requiritur aliqua similitudo ipsius ex parte potentiæ visiuæ; ex parte verò rei visæ, necesse est Deum vniri*

viden-

videnti, quia per nullam creatam similitudinem videri potest.

26 *Vnio diuinæ essentiæ cum intellectu creato est per modum speciei intelligibilis, ita vt visio pendeat ab ea non modo ratione obiecti, terminatiui; sed etiam tamquam à specie intelligibili, cuius proprium est vnire obiectum cum potentia.*

27 *Diuinam essentiam corporalibus oculis videri impossibile omnino est.*

28 *Impossibile arbitror creaturam intuitiuè videre Deum; nisi habeat supernaturale aliquod lumen creatum proportionatum cum visione.*

29 *Diuinam essentiam alter altero clarius intuetur, & hoc non ex eo est quod sit eius similitudo perfectior in vno quàm in alio; sed quia hic plus participat de lumine gloriæ, quia plus habuit charitatis.*

30 *Beatorum nemo comprehendit diuinam essentiam, non quod aliquid visi lateat videntem: sed quia imperfectiori modo videt quàm sit visibilis: unde omnis beatus uidet totaliter Deum ex parte rei visæ, sed non ex parte modi videndi.*

31 *Beati in Deo non vident omnia, quæ facit aut facere potest, neque omnes effectus producibiles quoad eorum essentias.*

32 *Quilibet beatus videt in essentia Dei oēs creaturas de facto creatas & creandas & earum rationes & ordinem vniuersi; sed non videt omnes earum liberas operationes.*

33 *Quilibet beatus videt in diuina essentia omnia mysteria spectantia ad fidem: fieri tamen potest de potentia absoluta Dei; vt videndo diuinam essentiam, nullam creaturam videat.*

34 *Nullus beatus videt in verbo omnes cogitationes & volitiones Dei, neque omnes rationes rerum creatarum; sed plures, vel pauciores iuxta luminis qualitatem.*

35 *Ea quæ à videntibus diuinam essentiam in Deo videntur, videntur non per aliquam creatam similitudinem; sed per solam essentiam Dei.*

36 *Quæ in diuina videntur essentia omnia vnico actu & sine temporis successione cognoscuntur: reuelationes verò particulares successiuè fiunt.*

37 *Homo in hac vita mortali existens; non potest diuinam essentiam intueri de potentia Dei ordinaria; potest autem de absoluta.*

38 Deus à nobis tribus nominum generibus appellari potest: via causalitatis, & sic dicimus Deum esse primam causam: via remotionis, & sic dicimus esse incorporeum: via eminentiæ, & sic dicimus esse summè bonum.

39 Deo tribui possunt tam nomina concreta, vt Deus bonus, quàm abstracta; vt Deitas, bonitas, quæ se habent sicut excedens & excessum.

40 Deus potest imponere sibi nomen se comprehensiuè significans, soli sibi, non autẽm creaturæ.

41 Quælibet rationalis creatura potest imponere Deo nomen, quod ipsum ipsi Deo comprehensiuè significat; sed non creaturæ: beatis verò intuitiuè, viatoribus ænigmaticè.

52 Idem nomen Dei quodcunque illud sit, Deo repræsentat Deum comprehensiuè, creaturæ beatæ intuitiuè, viatori vero ænigmaticè.

43 Nomina, quæ significant relationes ad creaturas, vel negatiuè de Deo dicuntur; non significant Deum substantialiter.

44 Supradicta nomina quantum ad rem significatam magis propriè dicuntur de Deo, quàm de creaturis; licet quoad modum significandi sit è conuerso.

45 Nomina diuersa de Deo dicta non sunt synonima respectu nostri: quia per ea diuersas Dei perfectiones mente concipimus, respectu verò Dei, & beatorum sunt synonima.

46 Idem de Deo & creaturis non vniuocè dicitur, neque æquiuocè, sed analogicè; id est de creaturis in ordine ad Deum, vt bonus, sapiẽs.

47 Nomina, quæ de Deo metaphoricè dicuntur, prius de creatura dicuntur, quàm de Deo: quæ verò propriè, prius dicuntur de Deo, si attendamus rem significatam.

48 Quæ de Deo cum respectu ad creaturas nomina dicũtur, significando actionem intellectus & voluntatis dicuntur ab æterno: quæ verò significant realem relationem creaturarũ ad Deum, dicuntur ex tempore.

49 Hoc nomen, Deus, licet impositum sit Deo ab operatione; tamen res, quam significat est natura diuina.

50 Nomen Deus quoad rem significatam est incommunicabile, quantum verò ad modum significandi, & secundum quandam similitudinem est communicabile.

Si

51 *Si eßet aliquod nomen, quod Deum significaret, vt est hoc aliquid, illud esset prorsus incommunicabile.*

52 *Nomen Deus de Deo per eßentiam, & per participationem, & per opinionem non vniuocè, nec purè æquiuocè dicitur, sed analogicè analogia logica.*

53 *Venerandum Dei nomen hebraicè dictum Iehoua, quod græcè Tetragrammatωn dicunt: est maximè proprium Dei, vt à quo nomen impositum est: at vt ad quod significandum hoc nomen impositum est, magis proprium est hoc nomen, Deus.*

54 *Deus est maximè sciens scientia actuali, non habituali: hæc verò in Deo non est qualitas, neque est vniuersalis, vel particularis, sed eminentiori modo.*

55 *Deus non habet scientiam sui propter quid; sed respectu omnium creaturarum; non ex parte cognoscentis, sed ex parte rei cognitæ.*

56 *Cognoscit autem creaturas non in seipsis, sed in seipso; non modò quoad ea, in quibus concurrunt, sed etiam quoad ea, in quibus differunt.*

57 *Scientia Dei non est discursiua, neque quoad succeßionem, neque quoad causalitatem: sed adiuncta voluntate, est causa rerum creatarum.*

58 *Deus cognoscit non entia scientia simplicis intelligentiæ: quæ verò sunt, fuerunt, vel erunt, scientia visionis.*

59 *Deus cognoscit mala, ea quidem quæ sunt pœnæ scientia approbationis: quæ vero culpæ, scientia visionis & mediante bono tanquam obiecto secundario.*

60 *Deus cognoscit infinita nō modo scientia simplicis intelligentiæ, sed etiam sciētia visionis: istæ autem nō sunt duæ scientiæ, sed vna considerata in ordine ad diuersa obiecta.*

61 *Futura contingentia & præterita non sunt præsenti[illegible] ternitate, nisi obiectiuè; non autem realiter: & quantumuis essent præsentia, neque tamen proinde cognoscerentur.*

62 *Vera & sufficiens ratio, cur futura contingentia à Deo cogn[illegible]scantur, est infallibile diuinæ voluntatis decretum, ex quo omn[illegible] futura habent esse quod habebunt.*

63 *Propositio singularis de futuro contingenti est [illegible]terminatè vera, non neceßario, sed liberè; vnde Deus eam co[illegible]cit: & nisi eßet*

deter-

determinatæ v[illegible] tis, non cognosceret.

64 *Deus cognoscit futura sub cōditione contingentia, hoc est cogno[illegible] [illegible] quid facturus fuisset paruulus qui mortuus est, si superuixisset.*

65 *Deus cognoscit enunciabilia, & enunciationes non per modum enunciabilium; sed per simplicem intelligentiam, intelligendo essentiam enunciantium.*

66 *Deus de se ipso habet scientiam pure speculatiuam: de rebus verò creatis practicam modo speculatiuo: de his verò quæ numquam facit, sed facere potest; habet scientiam non practicam purè, sed etiam speculatiuam: de his verò quæ numquam facit, nec facere potest, habet merè speculatiuam.*

67 *D[illegible] malis culpæ habet scientiam practicam sub conditione permitt[illegible] & non impediendo, & ordinando ea in maius bonum vniuersi, vel curando simpliciter omnium entium habet scientiam speculatiuam.*

68 *In Deo sunt ideæ nō sui ipsius, sed aliarum rerum omnium: sunt autem non eminenter, sed formaliter: neque sunt tantum Filius, aut Spiritus sanctus; sed ipsa Dei essentia.*

69 *Ideæ plures sunt, neque tamen diuinam simplicitatem tollunt: distinguuntur aūt inter se non per diuinum intellectum; sed per relationem rationis ad ideata.*

70 *Si idea sumatur prout est principium operandi, Deus habet ideā omnium creaturarum, quæ aliquando productæ sunt vel producentur: si verò prout est principium cognoscendi; Deus habet ideas omnium creaturarum etiam possibilium.*

71 *Malum cognoscitur à Deo per ideam boni, materia prima per ideam compositi, genera per ideam specierū, accidentia inseparabilia per ideam subiecti, indiuidua verò per propriam ideam.*

72 *Idea præcisè spectat ad scientiam speculatiuam: accedente verò voluntate producendi ideatum, spectat ad practicam.*

73 *Deus est ueritas prima, ratione cuius omnia uera esse dicūtur non formaliter, sed conformatiue; siue præsentia sint, siue præterita, siue futura.*

74 *Ratione huius veritatis ab æterno veræ sunt multæ propositiones, vt homo est peccabilis: non autem quod res habeant aliquod esse reale extra Deum, quod verificet has propositiones.*

Hæc

75 Hæc veritas immutabilis eſt omnino; nullis enim opinionum viciſsitudinibus immutatur: quæcumque enim Deus ſciuit ab æterno, nunc ſcit & ſciet in æternum.

76. In Deo eſt voluntas, qua vult non modo ſe, ſed etiam alia à ſe; ſe quidem vt finem, alia verò, vt ad finem; vult autem omnia non modo futura, ſed etiam poſsibilia ſimplici complacentia.

77 Nō quicquid Deus vult ex neceſsitate vult ſed ſeipsū quidē uult neceſsariò; alia verò liberè, vel neceſſariò neceſsitate conditiōnata.

78 Voluntas Dei eſt cauſa rerum omnium, ipſius verò voluntatis nulla eſt cauſa, neque finalis neque efficiens, neque formalis, neque materialis; niſi forte ſecundum noſtrum modum intelligendi.

79 Voluntas Dei ſimpliciter abſoluta & conſequens, ſemper i[mple]tur: voluntas verò inefficax & antecedens, quæ dicitur velleitas, non impletur.

80 Diuina voluntas immutabilis eſt ſemper idem volens; ſed non ſemper eſſe idem; eius autem immutabilitas ſine immutabilitate ſcientiæ ſaluari non poteſt.

81 Voluntas Dei quæ neceſsariò futura ſunt liberè vult, ſed neceſſariò eſſe vult: quæ verò liberè futura ſunt; & liberè vult, & liberè eſſe vult: vnde imponit neceſsitatem ijs tantùm quibus vult.

82 Deus nullo actu poſitiuo vult malum culpæ, malum vero pœnæ & naturalis defectus vult volendo bonum, cui coniungitur tale malum.

83 Deus non vult mala fieri: neque vult mala non fieri; ſed permittit fieri.

84 Deus reſpectu Angelorum habuit velleitatem, vt omnes ſaluarentur, & nolleitatem, vt illorum nemo peccaret; ſicut reſpectu hominum.

85 Velleitas hæc in Deo meritò ponitur ad eius miſericordiam cum iuſtitia demonſtrandam.

86 Deus non habet velleitatem reſpectu creaturarum poſsibilium tantum, vel non poſsibilium; ſed tantum reſpectu futurarum præſentium, vel præteritarum quoad earum ſalutem.

87 Non eſt dicendum Deum habere voluntatem antecedentem, qua vellet omnes peccatores puniri; aut nolleitatem, qua nollet quemquam ſaluari.

Ex

88 F[illegible] eo quòd Deus ab æterno præuidit, & voluit omnia, non sequitur [illegible] necessariò ita esse necessitate absoluta, sed tantum necessitate conditionata.

89 Effectus contingentes & liberi si ad diuinam scientiam comparentur, sunt necessarij secundum qu[illegible] necessitate consequentiæ, non consequentis: quare non sunt conting[illegible]s, nisi respectu proximarum causarum.

90 Humanæ actiones liberæ, quatenus liberæ sũt, formaliter referuntur non solum ad immediatam causam, scilicet ad facultatem liberi arbitrij creati, sed etiam ad primam causam liberam.

91 Omnis effectus bonus contingens & liber principaliter refertur ad diuinam voluntatem tanquam causam primam, & efficientem suæ libertatis.

92 Etiam si uoluntas Dei sit necessaria in se; tamen prima radix contingentiæ rerum est Dei voluntas.

93 Facta suppositione quòd Deus operaretur ex necessit[illegible] naturæ, iam contingentia rerum non reducerentur in Deum vt [illegible]mam radicem efficientem contingentiæ.

94 Omnis creatura ad extra, omnisque dependentia & causalitas est contingens, si ad diuinam voluntatem referatur; etiam si respectu secundæ causæ dicatur necessaria.

95 Quamuis Deus nullo modo sit causa peccati, ipsum tamen est [illegible]tingens ratione contingentiæ actus, à quo dependet.

96 Deus amat omnia, & magis vnũm quàm aliud; non intensiuè, sed extensiuè, & magis meliora: quæ tamen ipse fecit amore, qui non est passio.

97 Esse communicatiuum sui in potentia, est perfectio formaliter in Deo existens; actu verò se communicare ad intra, est perfectio naturalis in Deo existens ab æterno.

98 Communicare se actu creaturis, non est perfectio in Deo, sed dicit nouam relationem realem in creaturis: in Deo autem nouam relationem rationis.

99 In causandis creaturis inter voluntatem & scientiam Dei, nulla est prioritas in re: sed secundum nostrum intelligendi modum voluntas prior est quoad exercitium, scientia quoad specificationem.

DE PRAEDESTINATIONE AC LIBERO ARBITRIO.

100 *Diuinæ prouidentiæ omnia esse subiecta, nihilque eam vel minimũ effugere, nõ modo diuinæ lumine fidei; sed etiã humanis argumentis cognouimus.*

101 *Est autem prouidentia ratio ordinis rerum in finem existens ab æterno in mente diuina quoad entitatem, & realitatem; ex tempore autem quoad effectus suos.*

102 *Ad rationem prouidentiæ tam in Deo, quàm in hominibus necessarius est actus voluntatis & intellectus: loquendo tamen in rigore, & formaliter, prouidentia dicit actum intellectus.*

103 *Deus ordinat res in suos fines creatos, non vt illi fines sint causa diuinæ ordinationis, sed tantum ratio volitorum: vult igitur Deus hoc propter illud tanquam rationem huius voliti; non tanquam causam suæ volitionis.*

104 *De ratione prouidentiæ in communi prout abstrahit à diuina & humana, non est assecutio finis: diuina tamẽ prouidentia semper suũ sortitur finem.*

105 *Quamuis respectu secundarum causarum multa casu & fortuitò contingant: respectu tamẽ diuinæ prouidentiæ nihil casu accidit.*

106 *Excellentiori modo Deus habet prouidentiam de rationali quàm de irrationali creatura, & excellentiori modo de prædestinatis quàm de præscitis.*

107 *Substãtia & entitas actionis, ex qua proficiscitur peccatum, subditur diuinæ prouidentiæ per se.*

108 *Ipsum autem peccatum cadit sub diuina prouidentia, veluti materia circa quã Deus multa prouidet; permissio autẽ peccati cadit per se, & directè sub diuina prouidentia, & est ab ipso positiuè volita.*

109 *Permissio peccati ex parte Dei nihil est aliud, quàm permissio secundarum causarum suis naturis cum præuisione infallibili peccati futuri.*

110 *Deus non est causa peccati nec per se, nec per accidens, nec directè, nec indirectè; etiamsi ad actum peccati concurrat concursu quodam generali.*

111 *Si prouidentia sumatur pro ordine rerum in finem, Deus immediatè omnibus prouidet.*

112 *Christus autem Dominus per scientiam omnium rerum, quam habet in suo intellectu creato; non dicitur habere prouidentiam omnium rerum eo modo quo Deus, scilicet operatiuam; sed instrumentariam quoad res supernaturales.*

113 *Quatenus verò prouidentia dicit executionem ordinis præmeditati, Deus non immediatè omnibus prouidere dicitur; multa enim per secundas causas operatur.*

114 *Cum tamen immediatè Deus concurrat immediatione virtutis; & suppositi ad omnes & singulas operationes, quæ vnquam contigerunt, aut contingent.*

115 *Deus prædestinauit, & reprobauit tum homines, tum Angelos, & horum cum illis prædestinatio & reprobatio vniuocè conueniũt.*

116 *Actuum Dei circa prædestinationem secundum imaginationẽ nostram hic est ordo; primum cognouit Deus omnes homines possibiles; Ex his quosdam dilexit quoad esse naturæ, & hos voluit creare. Ex his rursus; quosdam dilexit in ordine ad finem supernaturalem; & hos elegit, & iustificauit, & glorificauit.*

117 *Prædestinatio est ratio existens in mente diuina circa media efficacia ad consequendam gloriam; quæ nostro modo intelligendi præsupponit electionem & dilectionem.*

118 *Reprobatio & prædestinatio de lege ordinaria non reuelatur nisi paucis, aliter enim sciri non potest.*

119 *Deus aliquando aliquibus reuelat suam ipsorum prædestinationem: vt securitatis gaudium, etiam in hac vita ijs incipiat, & confidentius & fortius bona opera prosequantur & præsentis vitæ miserias sustineant: non decuit tamen ipsam omnibus reuelare.*

120 *Prædestinatio si consideretur secundum suum formale, est in solo Deo: si verò consideretur quoad suos effectus, scilicet, iustificationẽ & glorificationem, actiuè quidem est in solo Deo: passiuè autem in prædestinatis.*

121 *Bona, vel mala temporalia siue animi, vt mentis acies & hebetudo; siue corporis, vt valetudo, ægritudo, pulchritudo, deformitas; siue fortunæ, vt diuitiæ, paupertas, si considerentur respectu prædestinationis totius corporis mystici prædestinatorũ sunt effectus illius;*

si

ſi verò quoad ſingulos homines, poſſunt eſſe effectus tam prædeſtinationis, quàm reprobationis.

122 Deus ab æterno voluit poſitiuè damnare, & perire reprobos, propter eorum peccata ab æterno præuiſa.

123 Piè credi poteſt, quòd omnibus venientibus ad vſum rationis Deus opem aliquam ferat auxilio ſupernaturali & ſecreto inſtigante ad operandum bonum.

124 Paruuli qui in vtero materno, vel antequam ad vſum rationis peruenerint, moriuntur: nihil auxilij ſupernaturalis in ſe receperũt immediatè.

125 Si dare ſummatur pro proponere, vel inuitare; Deus omnibus hominibus vſu rationis præditis, nemine prorſus excepto, dat auxiliũ ſufficiens ad eorum ſalutem.

126 Certa fide credendum eſt quemlibet hominem dum eſt in hac vita, poſſe ſaluari, ac poſſe damnari.

127 Si dare accipitur pro eo, cuius correlatiuum eſt accipere, ita vt ſine hoc ſtare non poſſit; Deus non dedit omnibus hominibus, etiã venientibus ad vſum rationis, auxilium ſupernaturale gratiæ præparantis, vel ad credendum, vel ad pœnitentiam agendam.

128 Cum tamen Deus dicatur paratus dare omnibus hominibus, quã diu ſunt in hac vita auxilium, quo fiant potentes conuerti; & conuertantur ſi velint.

129 Deus ab æterno ſtatuit voluntate abſoluta, ſeu conſequenti, non dare omnibus ſupernaturalia auxilia, videlicet eis qui ea recepturi non ſunt.

130 Cauſa primaria & radicalis cur aliquis conuertatur eſt diuinũ beneplacitum mouens illum efficaciter & ſuauiter: cauſa autẽ primaria, cur aliquis non conuertatur eſt ſua ipſius pertinacia.

131 Stante efficaci auxilio gratiæ in aliquo, is poteſt diſſentire, ſi velit, non in ſenſu compoſito, ſed diuiſo; libertate antecedenti, non conſequenti.

132 Deus quos prædeſtinauit elegit, & quos elegit dilexit, ita, vt quemadmodum prædeſtinationem electio, ita electionem dilectio noſtro intelligendi modo antecedat.

133 Nulla cauſa, aut ratio, aut extrinſecũ motiuum reperiri poteſt, quod Deum moueat ad æternum actum prædeſtinationis.

134 *Cum tamen secundum intelligentiæ nostræ rationem, ratio prædestinationis, videatur esse dilectio prædestinati; dilectionis autem immensa Dei bonitas & misericordia.*

135 *Hæreticum est asserere ob præcedentia hominis merita, quæ animæ cum corpore vnionem antecesserint, hunc prædestinari, illũ ob demerita in eo tempore facta reprobari.*

136 *Est etiam hæreticum asserere merita præexistentia in hac vita prouenientia ex libero arbitrio & naturalibus hominis viribus esse causam effectus diuinæ prædestinationis.*

137 *Neque verò merita prædestinationis effectum subsequentia, qualia sunt bona opera nostra in gratia, sunt causa nostræ prædestinationis: si quidem non essent nisi prædestinatio præcessisset; quæ reddit salutẽ prædestinatorum infallibilẽ, libertatem ipsorũ non tollit.*

138 *Hæretica, & planè fatua est eorum opinio, qui hominum prædestinationẽ aut reprobationẽ ex syderum configurationibus, congressibus, oppositionibus, regressibus effici aut significari existimant.*

139 *Nec minus hæreticum est dicere paruulos, qui moriuntur ante vsum rationis iustificari, aut reprobari ex præuisione bonorum, vel malorum operum, quæ facturi fuissent si superuixissent.*

140 *In electione hominum ad gratiam, Deus non vtitur ordine regentis, sed iure dominantis; nefas tamen est cogitare Deum vti tyrannide: quis enim prior dedit ei, & retribuetur ei?*

141 *Primus effectus prædestinationis, qui est vocatio congrua fit efficienter à solo Deo; à nobis autem tanquam cooperantibus, & assentientibus diuinæ vocationi, qui tamen assensus etiã à Deo causatur.*

142 *Idem ordo in hominum prædestinatione seruatus fuisset, si genus humanum in pristinæ innocentiæ statu iugiter perseuerasset.*

143 *Christus Dominus meruit prædestinationem omnium, qui prædestinandi sunt; & si qui alij prædestinarentur; meritis ipsius prædestinarentur.*

144 *Meritum Dominicæ passionis omnes homines, quotquot sunt, æqualiter attigit. Vnde causa cur hic homo prædestinatus sit, ille nõ; non est referenda in meritum ipsius: Eorum verò qui post Domini passionem consecuti sunt, Christus peculiari quodam modo meruit prædestinationem: pro ijs enim specialiter orauit.*

145 *Prædestinatio secundum totum suum esse, præsertim secundum*

pri-

primum effectum, scilicet primam gratiam, non est in nostra potestate: est tamen in nostra potestate, vt vocationi consensum præbeamus, idque non est simpliciter in nostra potestate; sed supposita gratia efficaci.

146 *In prædestinatis iustificatio est effectus prædestinationis & bona opera, etiam si postea per mortale peccatum mortificentur.*

147 *Causa prædestinationis primi parentis absoluta & quoad omnẽ eius effectum, fecit Christus Dominus, qui fuit illi reuelatus per fidem; vnde Christi merita illi applicabantur.*

148 *Originalis iustitia, & merita facta à primis parentibus dum in illa permanserunt, non fuerunt effectus prædestinationis, nisi quatenus per subsequens peccatum mortificata, reuiuiscentiam habuerunt ex meritis passionis Christi.*

149 *Peccata prædestinatorum non sunt effectus prædestinationis; nisi quatenus propter ea humiliati, fortiores resurgimus.*

150 *Multi sunt effectus gratiæ, qui in prædestinatis numerantur, inter effectus prædestinationis, vt vocatio ad fidem, &c.*

151 *Causa reprobationis totius massæ perditionis referenda est in primum parentem; is enim suo primo peccato condigne meruit, vt posteri quot Deus vellet reprobarentur.*

152 *Deus ordinauit homines ad pœnam, damni quidem, paruulos non baptizatos ob peccatum originale; sensus verò adultos ob peccatum actuale ipsorum, quòd facturos ipsos Deus præsciuit, sed non prædestinauit.*

153 *Hominibus denegata est gratia efficax ex demerito [illegible] lri capitis, scilicet primi parentis, angelis verò qui perierunt non ex vllo ipsorum demerito, sed ex iusto Dei iudicio.*

154 *Si obduratio pro primi peccati permissione sumatur, nulla datur causa, cur Deus illud permittat, nisi mera Dei voluntas: si verò obduratio sumatur pro derelictione alicuius post multa peccata, Deu cor hominis indurat; ita tamen, vt non neget illi auxilium gratiæ sufficientis.*

155 *Deus multis paruulis dedit media sufficientia, quibus saluari potuissent, nisi eorum parentes negligentes fuissent circa eorum salutem: ijs verò qui in materno vtero pereunt, Deus dedit auxilium sufficiens in primo parente.*

156 *Consensus nostri liberi arbitrij ad diuinam vocationem totus est à libero arbitrio & totus à diuina gratia simul tum tempore, tū causalitate in ordine ad effectum: dicere autem ipsum esse à solo libero arbitrio est hæreticum.*

157 *Idem dicendum de Angelis & homine in statu innocentiæ, nisi quod Angelis, & primo parenti in statu innocentiæ data est tantū gratia qua possent; non qua perseuerarent; quam si non habuissent non potuissent perseuerare: At per Christum prædestinatis datur gratia non solum qua possint, sed etiam qua velint perseuerare.*

158 *Is qui habet solum auxilium sufficiens, potest respondere, & nō respondere diuinæ vocationi.*

159 *Gratia efficax necessaria est ad consentiendum diuinæ vocationi necessitate consequenti, non antecedenti; quia ita positum est in nostra potestate resistere gratiæ efficaci, ac sufficienti: id quod æquè de Angelis & hominibus intelligendum est.*

160 *Per gratiam antecedentem, siue congruam & efficacem, siue incongruam & inefficacem, distinguuntur prædestinati à reprobis.*

161 *Possent homines saluari cum solo auxilio sufficienti possibilitate antecedenti, non consequenti: ideoque nemo hoc solo auxilio saluabitur de facto.*

162 *Tantum abest, vt diuina prædestinatio tollat in prædestinatis arbitrij libertatem; vt potius ipsum perficiat per gratiam naturæ non destructiuam; sed perfectiuam.*

163 *Hæc propositio, Deus potest prædestinare Petrum, quem non prædestinauit, in sensu composito falsa est; in sensu verò diuiso vera.*

164 *Hæreticum est dicere prædestinatis non prodesse bona opera, & reprobis non obesse quod male viuant; aut illis non obesse mala opera, nec his prodesse bona.*

165 *Actus nostri mali non fuerunt à Deo prædefiniti secundum substantiam actus in aliquo priore ante determinationem nostram; sed habita ratione concursus & cooperationis nostræ voluntatis.*

166 *Verè dicimus liberum arbitrium operari per Deum, & Deū operari per liberum arbitrium; item liberū arbitrium operari, quia Deus*

ope-

operatur; & Deum operari, quia liberum arbitrium operatur.

167 *Non prius est determinatio nostræ voluntatis ad vnam partem quàm decretum Dei, aut generale circa quæcunque opera, aut peculiare: sed vtrumque simul est nostro modo intelligendi.*

168 *Voluntas Dei cooperandi cum nostra voluntate, immo etiam ipsa actualis cooperatio Dei cum illa in tẽpore, est in nostra potestate.*

169 *Si prima causa motrix nostræ voluntatis necessariò operaretur habita ratione determinationis nostræ voluntatis; adhuc nos etiam liberè operaremur, sicut nunc operamur: sin autem moueret necessariò, nulla habita ratione determinationis nostræ voluntatis; iam voluntas non liberè operaretur.*

170 *Etiam si nulla causa in vniuerso esset libera; tamen multi effectus essent contingentes.*

171 *Futura contingentia omnia sunt determinata quoad veritatem, vel falsitatem ex parte rei effectæ; non autem ex parte agentis.*

172 *Deus ab æterno præuidit, & prædeterminauit certum numerum, prædestinatorum non solum materialiter; sed etiam formaliter.*

173 *Est autem hic numerus Deo certus non solum per cognitionem, qua omnia futura certo cognoscit; sed etiam per principalem, & particularem prædeterminationem & electionem.*

174 *Non sic loquendum est de numero reproborum, horum numerũ ab æterno tam materialiter, quàm formaliter præsciuit; sed non præ definiuit.*

175 *Quantus autem sit numerus prædestinatorum nemo potest cognoscere, nisi is qui seipsum cognoscendo omnia cognouit; & eius filius, qui prædestinatorum est caput, & primogenitus.*

176 *Istæ propositiones, reprobus saluabitur, prædestinatus damnabitur, sunt in materia remota; istæ autem, reprobus potest saluari, prædestinatus damnari; ad vtrumlibet.*

177 *Item istæ Præscitus saluari, saluabitur; præscitus damnari, damnabitur, sunt necessariæ necessitate consequenti, & in sensu composito; non necessitate antecedenti, nec in sensu diuiso.*

178 *Plures hominum sunt reprobati quàm prædestinati, & inter fideles plures esse reprobos, quàm prædestinatos probabile est.*

an

an verò numerus prædestinatorum, maior, vel minor sit numero Angelorum, vel dæmonum, nec coniectari quidem humana mens potest.

179 *Prædestinatio quoad ipsam Dei prædestinatiouem, quæ ab æterno est, precibus sanctorum, nec adiuuatur nec impeditur.*

180 *Quantum ad effectum prædestinatio dicitur precibus sanctorũ, & alijs bonis operibus addiuuari; per opus tamen cuiuscunque creaturæ non potest impediri.*

181 *Totus prædestinationis effectus, prout comprehendit tàm effectus intrinsecus in nobis receptos, quàm dispositiones, & media extrinseca ad spiritualem vtilitatem à Deo ordinata; non potest precibus sanctorum adiuuari: quoad aliquos effectus, etiam intrinsecus in nobis receptos, potest adiuuari.*

DE INEFFABILI DIVINAE TRINITATIS MYSTERIO.

182 *DIuinæ Trinitatis mysterium est mysterium mysteriorum, illorumque omnium principium, tum efficiens, tum finale: ad quod manifestandum & glorificandum omnia alia fidei mysteria ordinantur.*

183 *Processio in diuinis non est ea, per quam effectus procedit à causa; nec ea, per quam causa procedit in ipsum effectum; sed est emanatio per intellectum & voluntatem.*

184 *Non enim quacunque intellectione producitur verbum; sed ea tantum, quæ expressiua & directa est.*

185 *In diuinis verbum propriè dicitur generari; non metaphoricè: generatio autem illa dicitur origo viuentis à viuente, à principio coniuncto in similitudinem eiusdem naturæ.*

186 *Hanc diuinam generationem non esse mutationem de potentia ad actum, ratio docet: In ea autem definitione non comprehenditur plantarum propagatio.*

187 *Verbum in diuinis esse propriè filiũ de fide est, etiam si in humanis id non sit verum: & huius ratio est, quia in Deo intelligere est Deus; non autem sic in homine & Angelis.*

Est

188 *Est præterea alia processio, quæ dicitur amoris, distincta à priori secundum ordinem originis, & præter has duas processiones in diuinis nullam aliam esse, de fide est.*

189 *Istæ duæ processiones non terminantur in aliquid ad extra: quo fit vt vtriusque terminus, scilicet verbum & spiritus Sanctus sit idem cum patre, & Deus sicut ille, hocque de fide est.*

190 *Processionem Spiritus Sancti non esse generationem, & è contra generationem non esse spirationem, quæ est Spiritus Sancti processio, de fide est.*

191 *Falluntur autem qui huius distinctionis nullam adduci posse rationem existimant, quanquam sufficiens non est ea, quod pater non sit filius, nec filius pater: neque ea ratio est, nè si dicamus vnam processionem, infinitos in diuinis filios aut Spiritus Sanctos admittere cogamur.*

192 *Neque quod filius procedit ab vno; Spiritus Sanctus à duobus: neque quod filius naturam à patre acceptam communicare possit; non autem Spiritus Sanctus.*

193 *Neque quod generatio, & processio se ipsis distinguantur, etiam si eas hoc modo distingui concedamus: sed quod filius procedat similis patri, vt eius imago ex vi productionis; non autem Spiritus Sanctus: ideo illa dicitur generatio; non ista.*

194 *Distinctio harum processionum completur ex tribus, scilicet distinctione rationis principiorum, intellectus nimirum & voluntatis; ex reali distinctione terminorum productorum, scilicet geniti, & spirati; & ex ordine originis.*

195 *In Deo sunt relationes reales, quæ non prædicantur per modum inhærentis secundum propriam rationem relationis prædicamentalis; sed potius per modum ad aliud se habentis.*

196 *Relationes reales existentes in Deo sunt idem cum essentia diuina; & non distinguuntur ab ea, nisi secundum intelligentiæ nostræ rationem.*

197 *Simpliciter autem omnis relatio siue creata, siue increata est formaliter perfectio.*

198 *Attributum Dei est perfectio ipsius à nobis concepta, quæ in se quidem neque est relatio; neque importat relationem, neque realem, neque rationis: quo fit, vt nullũ attributũ Deo ex tẽpore conueniat.*

199 *Dicere attributa diuina distingui realiter à diuina essentia, aut inter sese, error est.*

200 *Neque verò attributa inter se distinguuntur ex natura rei ante operationem intellectus; sed tantum secundum operationem intellectus nostri; qui non potest omnes diuinas perfectiones vno conceptu in Deo considerare.*

201 *Esse creatorem, redemptorem, &c. actualiter conueniunt Deo in ordine ad creaturas, ita ut si impossibiles essent creaturæ; impossibile etiam esset hæc nomina de Deo prædicari.*

202 *Attributa verò negatiua, vt infinitus, incorporeus, incomprehensibilis &c. conueniunt Deo ab æterno sine ordine ad creaturas; etiam si essent impossibiles creaturæ.*

203 *Similiter esse creatorem, redemptorem &c. potestate, conueniunt Deo ab æterno absque vllo ordine ad creaturas, creatas, seu creandas, possibiles tamen.*

204 *Intellectus hominis viatoris non potest concipere attributa diuina distincta ratione; nisi per ordinem ad creaturas realiter distinctas.*

205 *Admitto hanc, pater generat; filius generatur: pater spirat; Spiritus Sanctus spiratur: sed non has, paternitas generat; filiatio generatur: spiratio actiua spirat; passiua spiratur.*

206 *Nomen Trinitatis significat vnitatem essentiæ in recto, & Trinitatem personarum in obliquo, quoad etymologiam; quoad significationem autem est è conuerso.*

207 *Deus est Trinus, & Trinitas, non triplex, nec triplicitas: quia Trinitas significat absolutè numerum, Triplicitas significat comparationem inæqualitatis.*

208 *Magis distinguuntur essentia, & persona; essentia, & attributa; & attributa inter se; quàm distinguãtur relatio, & persona: quia datur latitudo in distinctione rationis.*

209 *In Deo sunt quatuor relationes, Paternitas, filiatio, spiratio, processio: inter has autem illæ tantum distinguuntur realiter; quæ inter se opponuntur vt prima, secundæ; tertia, quartæ.*

210 *Persona est rationalis naturæ indiuidua substantia; per substantiam autem intelligo eam, quæ præscindit à prima, vel secunda.*

211 *Hoc nomẽ, persona, idem significat in genere substantiarum ratio-*

tiona-

tionaliũ; quod significat hypostasis, vel suppositum in genere substantiarum ratione carentium.

212 *Essentia in compositis & materialibus substantijs non est idem quod persona: persona enim supra essentiam addit tum principia indiuidualia, tum rationem incommunicabilitatis.*

213 *Nomen personæ etiam si nullibi in scripturis legatur, competit tamen Deo non sicut à quo nomen impositum est: sed sicut id, ad quod significandum impositum fuit: & præterea significat perfectionem.*

214 *Persona prædicatur analogicè de persona diuina & de creata; & in diuinis definitur sic, Diuinæ naturæ incommunicabilis existentia.*

215 *Persona vt persona etiam in diuinis significat relationem per modum substantiæ, quare non dicitur ad alterum sed ad se; ab essentia verò diuina distinguitur tantum ratione; potest enim intelligi essentia sine persona.*

216 *Concedo tres personas esse vnum Deum; Item Deum esse tres personas; Item tres personas esse Trinitatem; Item tres personas esse vnam essentiam: sed nego tres personas esse ex, vel de eadem essentia.*

217 *Numerus ternarius in Deo non est de prædicamento Quantitatis; sed est transcendens & nihil superaddens Deo, nisi diuisionem inter indiuidua in se.*

218 *Nomen personæ est commune tribus personis diuinis secundum rationem, non sicut genus ad species, vel species ad indiuidua; sed sicut indiuiduum vagum.*

219 *Deo competere nomen Trinitatis de fide est: Trinitas autem non significat essentiam, nec relationes personales; sed potius numerum personarum ad inuicem relatarum.*

220 *Filius est alius à Patre, & alia persona à persona Patris: sed non est aliud ab eo; sed nec persona diuersa nec diuisa, nec differens, nec separata, nec discrepans; sed distincta à persona Patris.*

221 *Deus non est solum æternus, sed Deus est solus æternus; idque non cathegorematicè; sed syncathegorematicè Deus tantum est æternus; sed non Deus est tantum æternus.*

222 *Ad clariorem cognitionem summi Trinitatis mysterij, necesse fuit ponere notiones abstractas: hæ autem notiones, licet realiter sint in Deo; non tamen significantur ut res, sed ut rationes.*

223 *Quare Paternitas, filiatio, spiratio, processio, est æterna, immensa, incorporea; sed non creat, nec iustificat, nec generat, nec generatur, nec spirat, nec spiratur.*

224 *Notiones personarum sunt quinque, innascibilitas, paternitas, filiatio, communis spiratio, processio, & inter has quatuor postremæ sunt relationes, quatuor præter communem spirationem sunt proprietates, & tres sunt notiones personales scilicet generatio, spiratio, processio.*

225 *Innascibilitas, generatio passiua, communis spiratio, re sunt idē; neque tamen innascibilitas est generatio, aut spiratio; neque è contra.*

226 *Nomen Patris est nomen personale, quod per prius dicitur de patre respectu verbi, quàm de tota Trinitate respectu creaturarum: similiter hoc nomen principij per prius dicitur de patre respectu filij; quàm respectu Spiritus Sancti, & quàm de tota Trinitate respectu creaturarum.*

227 *Prima persona magis propriè dicitur pater quàm generans; & secunda persona magis propriè dicitur filius, quàm genitus; hoc autem nomen patris in diuinis dicitur propriè; non metaphoricè.*

228 *Hoc nomen ingenitus, ut dicit negationem generationis passiuæ est commune patri, & Spiritui Sancto: ut autem dicit negationem dependentiæ cuiuscunque, est proprium nomen patris.*

229 *Mysterium diuinæ Trinitatis impossibile est naturali ostendere ratione esse verum: immo verò non potest eadem ratione naturali demonstrari esse possibile.*

230 *Nulla ratio naturalis ostendere potest Mysterium Trinitatis esse impossibile: omnia enim argumenta, quæ contra ipsum adduci possunt, solubilia sunt.*

231 *Seclusa beatifica Dei visione, sicuti est, non potest mysterium Trinitatis euidenter ab vllo intellectu creato cognosci, nec notitia intuitiua, nec abstractiua.*

232 *Mysterium Trinitatis non potest euidenter probari Iudæo ex veteri testamento, seclusa auctoritate noui testamenti.*

Ne-

233 *Negare verbum in diuinis hæreticum est: & hoc est secunda persona Trinitatis.*

234 *Hoc nomen verbum in diuinis propriè significat verbum mentis;non autem imaginationis, aut vocis: etiam si in humanis hæc omnia propriè significet.*

235 *Verbum propriè sumptum in diuinis dicitur tantum notionaliter:non potest autem dici essentialiter,nisi valde impropriè:cum tamen dici notionaliter sit de fide.*

236 *Actus notionalis quatenus includit in sua significatione actum essentialem, verbi gratia intelligendi, reflectitur in personam producentem,& transit in creaturas,vt actus dicendi; actus verò notionalis, qui non includit in sua significatione actum essentialem, non reflectitur,quare rectè dicimus,Pater dicit se ipsum: sed falsò, pater generat seipsum.*

237 *Pater non generat nec relationem,nec essentiam filij:cum tamen in filio nihil sit aliud, quàm relatio & essentia, & dicatur generare filium.*

238 *Pater producit filium,neque prius existentem, neque prius non existentem;sed ipsi coæuum,& coexistentem productioni.*

239 *Diuinitas non est diuisa in tres quasi partes:sed est tota in omnibus,& tota in singulis personis.*

240 *Quod si creaturæ non essent creatæ,immo non essent creabiles; adhuc tamen verbum illud eodem modo se haberet,quo nunc post ipsarum creationem se habet.*

241 *Nomen verbi non habet ex personali proprietate quod dicat relationem ad creaturas:dicit tamen illam ex propria ratione quatenus includit essentiam.*

242 *Deus intelligendo producit verbum,& producendo intelligit:ipsius autem verbi principium non est intellectio præcisè; sed productio.*

243 *Creaturæ non solùm non sub esse futuro, sed neque etiam sub esse possibili comparantur tanquam per se obiectum, & per se principium in actu primo intelligibili per modum obiecti productionis verbi.*

244 *Creaturæ,etiam sub esse possibili non dicuntur esse per se in memoria patris per modũ intelligibilis in actu primo,sed in actu secũdo.*

Ver-

245 *Verbum diuinum non procedit ab ipso verbo cognito sub esse possibili tamquàm principio verbum, tamen ipsum est in memoria Patris ratione essentiæ, & proprietatis tamquàm in principio producente.*

246 *Verbum diuinum non procedit à Spiritu sancto sub esse possibili in memoria Patris; sed processio Spiritus sancti ordine originis supponit processionem verbi.*

247 *Pater æternus non prius origine intelligit suam essentiam, verbum & Spiritum sanctum sub esse possibili, quàm producat verbum.*

248 *Verbum non prius intelligitur produci quàm Pater intelligat in verbo intellectione notionali ea, quæ in verbo continentur.*

249 *Spiritus sanctus non procedit per amorem & dilectionem creaturarum, vt creaturarum, siue futurarum, siue possibilium tantùm.*

251 *Vera est propositio: verbum est creaturæ verbum, vel est verbum de creatura: falsa autem est, verbum est a creatura.*

251 *Nomina personalia incomplexa in diuinis, vt filius verbum &c. primò & formaliter significant relationem, secundario in obliquo & connotatiuè significant essentiam, & absolutum.*

252 *Complexa vero nomina personalia & essentialia, vt Deus generans, Deus genitus, directò significant & relationem, & absolutum.*

253 *Verbum connotat relationem ad creaturas tamquàm dictas, non ratione solius essentiæ; nec ratione solius relationis; sed ratione intellectionis essentialis, modificatæ tamen proprietate personali.*

254 *Nomen imaginis in diuinis est nomen personale competens soli secundæ personæ, non tertiæ; quia non procedit vt verbum: Spiritus tamen sanctus dicitur imago impropriè.*

255 *Tertia in diuina Trinitate persona non habet nomen proprium, dicitur tamen Spiritus sanctus non quod hoc nomen ex vi suæ significationis significet illam; sed ex accommodatione, & vsu sacrarum scripturarum.*

256 *Dicitur Spiritus sanctus Filij, aut Patris; nec Filius tamen, nec Pater dicitur Spiritus sanctus Filius, aut Pater: Dicimus*

etiam

etiam Spiritum sanctum donum Patris, & Filij: non tamen è contra.

257 *Spiritum sanctum non procedere à solo Filio de fide est, idque nullus ex sanctis Patribus Græcis negauit: immo multi asseruerunt; & ex scriptura sacra manifestè colligitur.*

258 *Etiamsi Spiritus sanctus procederet à Filio tantum, non à Patre; adhuc tamen Pater, & Spiritus sanctus essent distinctæ personæ, sicut sunt.*

259 *Si vero Spiritus sanctus procederet à solo Patre, & non à Filio filius, & Spiritus sanctus essent vna persona: Quare aut concedenda est processio Spiritus sancti à Filio, aut necesse est negare Trinitatis mysterium.*

260 *Immo etiam vna esset emanatio scilicet processio amoris, & processio per intellectum; idemque esset filiatio, & spiratio passiua.*

261 *Filiatio distinguitur à processione passiua, non ratione originis; sed quia filiatio secum habet adiunctam spirationem actiuam.*

262 *Origines si considerentur vt sunt à parte rei, distinguuntur se ipsis, & seipsis opponuntur; si autem considerentur, vt sunt in nostro intellectu distinguuntur secundum ordinem prioris & posterioris.*

263 *Negandū non est Patrem & Filium in re concurrere tamquàm vnum principium spiratiuum ad Spiritus sancti spirationem.*

264 *Cum dicimus Pater & Filius sunt vnum principium, nomen principij non sumitur confusè: sed pro quodam cōstituto ex essentia & relatione spirandi communicabile duabus personis.*

265 *Spiritus sanctus per se, & ex natura sua postulat esse ab vno principio spiratiuo; quod ex natura sua postulat duo supposita.*

266 *Principium spirandi est voluntas concors Patris, & Filij; non se mutuo diligentium in actu secundo; sed se mutuò diligendi actu primo.*

267 *Si Spiritus sanctus à virtute spiratiua existente, aut in solo Patre, aut in solo Filio procederet; procederet cum alio proprietate personali: quia licet esset amor, non tamen esset nexus amoris.*

Hæc

268 *Hæc potentia spiratiua est essentia diuina non per se sumpta; modificata proprietate paternitatis, & filiationis.*

269 *Amor quo se diligunt pater & filius, est unus: dicitur tamen duplex quatenus est nexus duorum suppositorum.*

270 *Etiamsi vera sit hæc, Spiritus Sanctus procedit à patre per filiũ; tamen æquè immediatè procedit à patre, atque filio: & quamuis virtus spiratiua in filio & patre sit vna; tamen filius habet eam à patre.*

271 *Admittimus hanc, Spiritus Sanctus procedit à patre & filio tanquam à duobus spirantibus; sed non tanquam à duobus spiratoribus.*

272 *Ex eo quod filius hoc habeat cum patre commune, vt cum eo ad spirationem actiuam concurrat, non est similior patri quàm Spiritus Sanctus.*

273 *Amor in diuinis summi potest tum essentialiter tum personaliter, & primo quidem modo pro actu amandi, secundo modo pro eo quod procedit per modum amoris, & hoc modo est nomen proprium Spiritus Sancti.*

274 *In diuinis amor essentialis & notionalis non distinguuntur realiter, nec essentialiter: amor autem essentialis includitur in notionali tanquam quid præintellectum ad ipsum.*

275 *Vera est hæc, principio pater & filius diligunt se Spiritu Sancto non ex eo quod amor approprietur Spiritui Sancto; neque ex eo quod Spiritus Sanctus sit signum dilectionis patris & filij: sed quia dilectionis ipsorum formalis terminus est.*

276 *Sed non admittimus hanc, pater & filius spirant Spiritu Sancto, neque hanc, pater producit verbum verbo.*

277 *Pater, & filius Spiritu Sancto diligunt creaturas, tam poßibiles quàm futuras tanquam obiectum secundarium dilectione notionali & contingenter.*

278 *Spiritus Sanctus nihil diligit dilectione notionali: sed omnia diligit dilectione essentiali; & tunc seipsum seipso diligit tanquam principio quod dilectionis.*

279 *Falsa est hæc, Pater est sapiens, aut intelligens sapientia genita, sed vera est hæc, Pater sapit, & intelligit sapientia genita: dummodo illud sapere & intelligere notionaliter accipiatur.*

280 *Vera est hæc filius est sapiens, & sapit sapientia essentiali & ingenita tamquam forma: est autem sapiens, & sapit sapientia ingenita notionali, quasi efficiente suæ sapientiæ genitæ; & sic potest dici sapiens sapientia ingenita, vel per sapientiam ingenitam.*

281 *Filius est sapiens, & sapit notionaliter sapientia genita tamquam se ipso; non significando vllum genus causæ efficientis.*

282 *Solus Spiritus sanctus dicitur donum, idque propriè & ab æterno, non respectu reliquarum personarum; sed respectu creaturarum: datum autem dici non potest nisi ex tempore.*

283 *Non ideo quia possibiles sunt creaturæ; Spiritus Sanctus habet, quod possit donari: quare non procedit per amorem creaturarum.*

284 *Dicitur autem Spiritus Sanctus donum, quia inter cætera dona spiritualia solus Spiritus Sanctus habet esse donum ex vi suæ processionis.*

285 *Spiritus Sanctus dicitur donum nostrum, quia nobis donatur; Spiritus noster, quia nos inspirat: vtroque autem nomine vocatur ex tempore, aut ab actu donationis, & inspirationis; aut quod soleat donari, & inspirare.*

286 *Hæc nomina filius, verbum, splendor, imago, similitudo, & hæc Spiritus Sanctus, amor, donum, non sunt synonima, connotant enim diuersas relationes rationis: neque tamen significant distinctas notiones, vel relationes.*

287 *Persona est idem realiter, quod essentia diuina, & ab ea differt sola ratione: cum ipsæ personæ inter sese realiter distinguantur.*

288 *Rectè dicimus vnam esse essentiam trium personarum, & tres esse personas vnius essentiæ; sed ineptè tres esse, personas essentiæ; benè tamen diuinitatis.*

289 *Nomina substantiua concreta substantialia singulariter dicuntur de tribus personis, vt pater creator, filius creator, Spiritus Sanctus creator; sed non tres creatores.*

290 *Nomina adiectiua concreta substantialia pluraliter dicuntur de tribus personis, vt tres infiniti, tres æterni.*

291 *Nomina substantiua concreta dicuntur singulariter, aut pluraliter de Deo & creaturis secundum numerum, aut vnitatem naturæ significatæ; & hoc negare est periculosum; Adiectiua verò secundum numerum suppositorum.*

D Si

292 *Si tres personæ diuinæ vnã aßumerẽt humanitatẽ, aut si vna persona diuina tres assumeret humanitates; esset vnus homo absolutè.*
293 *Pater Filius & Spiritus sanctus sunt tres res, & tria entia; si hæc nomina transcendenter accipiantur.*
294 *Datur indiuiduum concretum Deitatis præintellectum personis: quod tamen non est persona, nec semipersona; sed solum significat naturam: Similiter etiam datur indiuiduum concretum spiratoris præintellectum patri, & filio spirantibus: quod tamen est constitutum ex essentia, & spiratione.*
295 *Si tres personæ eandem aßumerent humanitatem; daretur indiuiduum concretum humanitatis illis personis præintellectum; nec tamen quartam constituens personam.*
296 *Vanæ sunt propositiones istæ: Hic Deus, ostẽso filio, est hic Deus, ostẽso patri: & hic spirator, ostẽso patre, est hic spirator, ostẽso filio: falsa hæc: hic spirans ostenso patre, est hic spirans, ostenso filio.*
297 *Vera est hæc propositio, Deus generat: nam in ea nomen Deus supponit pro persona patris, ratione notionalis adiuncti.*
298 *Nomen Deus semper significat concretum Deitatis, quamuis de illo aliquæ propositiones verificentur ratione alicuius personæ, vt generare, generari, & similia.*
299 *Contrahi tamen potest ratione alicuius syncathegorematis; si dicamus, Deus generans producit filium, aut Deus filius spirat, & tũ significat vnam tantum personam.*
300 *Nefas est dicere, omnis Deus, vel nullus Deus, vel aliquis Deus, vel hic Deus generat, & hic Deus generatur, aut hic Deus spirat, & hic Deus spiratur.*
301 *Falsa est hæc propositio, Deus generat aliũ Deum; sed vera hæc, Deus generat alium habentem Deitatem: dicendum est autem, Deus generat eundem Deum.*
302 *Quamuis verè sint hæ propositiones; Pater est ingenitus, & non genitus, filius est non generans, Spiritus sanctus est non spirans, & hæc omnia verificentur de concreto Deitatis; falsæ tamen sunt, Deus est ingenitus, non genitus, non spirans, non spiratus, non generat non spirat.*
303 *In hac propositione, Deus de Deo, hoc nomen, Deus, supponit pro concreto Deitatis; etiam si sermo sit de filio: sic etiam cum dicimus,*

lumen

lumen de lumine, gloriam de gloria.

304 *Cũ dicimus, Deus est homo, Deus est passus & mortuus: nomine Dei intelligimus concretũ Deitatis quia de abstracto est impossibile.*

305 *Filius in diuinis non est factus, aut effectus, aut operatus, aut principiatus à patre, nec de se non ens; & idem prorsus dicendum de Spiritu sancto.*

306 *Nullus est modus processionis in creaturis, qui diuinam generationem perfecti, & adamussim repræsentet: quapropter ex multis similitudo perficitur; dum secunda persona dicitur filius, splendor patris, verbum, & imago.*

307 *Abstractis proprietatibus personalibus, non remanent hypostases & personæ; sed sola & nuda essentia: Abstractis autem proprietatibus non personalibus, remanent adhuc personæ; & hypostases.*

308 *Etiãsi pater per paternitatẽ constituatur non solũ in esse Patris: sed etiã in esse personæ & hypostaseos: tamẽ inde non sequitur, quod filius non sit hypostasis; & eodem modo constituatur per filiationẽ.*

309 *Origo passiuè præcedit proprietates, etiam personales personarũ procedentium: origo autem actiua præcedit relationem originantis, non personalẽ, vt spiratio actiua relationẽ inter spirans, & spiratũ.*

310 *Paternitas; vt dicit relationem, est posterior ratione ipsa generatione; vt autem est constitutiua personæ antecedit ipsam.*

311 *Actiones notionales sunt idem realiter cum relationibus, vt paternitas, cum generatione: & distinguuntur ab eis tantum secundũ intelligentiæ nostræ rationem.*

312 *Pater generat filiũ, & Pater & Filius spirant Spiritum sanctũ voluntate complacentiæ, non tamquam principio generandi, aut spirandi; sed tamquam concomitante generationem & spirationem.*

313 *Etiãsi Pater, & Filius spiret Spiritũ sanctũ voluntate tamquã principio: tamẽ spiratio est naturalis & necessaria absq; coactione.*

314 *Filius generatur à Patre non de nihilo, neque de aliquo alio; sed de substantia Patris, eaque tota tamquam principio consubstantiali generationis non autem materiali.*

315 *Falsa est hæc propositio: Spiritus sanctus procedit nõ similis: uera hæc: Spiritus sanctus ex modo suæ processionis nõ procedit ut similis.*

316 *Nomen Patris sumitur prout dicit quid commune ad significationem essentialem, atque personalem, & primo modo* com-

competit toti Trinitati: & secundo modo soli primæ personæ.

317 *Sufficiens causa distinctionis realis inter patrem, & filium in diuinis non est, quia pater generat, & filius non generat: neque inter Patrem filium, & inter Spiritum Sanctum: quia hic spirat, & Spiritus Sanctus non spirat.*

318 *Pater filio, & Pater & filius Spiritui Sancto communicant totam suam entitatem absolutam, nihil de relatiua.*

319 *Pater dicitur habere potentiam generatiuam, quia generat, filius cum ipso dicitur habere potentiam spiratiuam quia spirat, & hæ ambæ potentiæ dicuntur actiuæ: neque tamen inde filius dicitur habere potentiam passiuam generationis, aut Spiritus Sanctus spirationis.*

320 *Potentia generandi, quæ est in patre non dicit solam relationem, neque relationem & absolutum ex æquo; sed absolutum seu essentiã in recto, & relationem in obliquo.*

321 *Etiam si potentia generatiua in patre, & potentia spiratiua in patre, & filio sint infinitæ perfectionis: tamen illa per vnius filij generationem, hæc per vnius Spiritus Sancti spirationem ita perfectè expletur; vt repugnet alium generare filium, & alium spirare Spiritum Sanctum.*

322 *Diuinas personas æquales esse quantitate virtutis de fide est: quantitate autem molis est hæreticum: sunt autem æquales tum secundum essentiam, tum secundum operationem, & potentiam.*

323 *Oppositio, qua opponuntur personæ diuinæ & relationes diuinæ sibi inuicem est realis, sed non est relatio realis: non enim est aliud, neque identicè, neque formaliter quam ipsæmet relationes.*

324 *Aequalitas, & similitudo in diuinis sunt reales ante omnem cõceptum rationis: non sunt tamen relationes reales, sed rationis formaliter: fundamentaliter vero sunt reales.*

325 *Relationes personales re vera non fundantur nec in essentia, neque in aliquo alio: sunt enim per se subsistentes: in ordine tamen ad nostram capacitatem fundantur in actibus notionalibus.*

326 *Dicimus inter diuinas personas esse ordinem originis, & bene dicimus vnam esse priorem alia secundum hunc ordinem.*

327 *Vera est propositio, filius semper generatur, Spiritus Sanctus semper spiratur: magis tamen vera est hæc, filius semper genitus est*

Spi-

Spiritus Sanctus semper spiratus est.

328 *Quicquid dignitatis habet pater, habet filius, & quicquid dignitatis habet filius, habet & pater, & quicquid dignitatis habet vterque, habet, & Spiritus Sanctus: ita vt totam perfectionem quam habent omnes tres personæ, habeat vnaquæque illarum.*

329 *Pater dicitur esse in filio, & filius in patre, tum secundum essentiam, ob eiusdem essentiæ communicationem, tum secundum relationem, tum secundum originem.*

330 *Generationis, & spirationis essentia diuina est principium quo, à quo non est necesse realiter distingui id, quod per spirationem & generationem procedit.*

331 *Essentia filij non generatur, essentia Spiritus Sancti non spiratur: cum tamen filius per generationem, Spiritus Sanctus spirationem suam accipiant essentiam.*

332 *Hypostases diuinæ sunt vnum specie, quatenus conueniunt in vna natura deitatis: sed differe dicuntur secundum speciem ratione proprietatis personalis.*

333 *In diuinis sunt tres subsistentiæ in abstracto, idest tres rationes subsistẽdi, sic tres hypostases in cõcreto, idest tres personæ subsistẽtes.*

334 *Diuinarum personarum vna ab alia mitti dicitur, non sicut ab imperante, aut à consulente; sed tanquam à principio originali.*

335 *Personæ diuinæ mitti dicuntur quatenus vna incipit esse in aliquo loco nouo modo, quàm antea esset. vnde sic definitur missio, est processio diuinæ personæ per originem ab alia ad sanctificandam creaturam, in qua incipit esse nouo modo, quo antea non erat.*

336 *Diuinæ personæ non dicuntur mitti nisi in ordine ad gratiam gratum facientem, & quando homo sanctificatur, in ipso est non solum diuina gratia, sed ipsa Spiritus Sancti persona secundum substantiam.*

337 *Est autem in homine sicut cognitum in cognoscente, amatum in amante modo quodam ineffabili, tam quando amat actualiter, quàm quando habitualiter tantum.*

338 *Missio non prædicatur de diuinis ratione essentiæ, nec ratione relationis personalis tantum; sed includit in sui significatione notionem, non quidem in speciali, sed in generali, prout esse ab alio conuenit duabus personis.*

Pater

339 *Pater mittit, nec mittitur, nec inuisibiliter, nec visibiliter. Filius mittit & mittitur inuisibiliter & visibiliter. Spiritus sanctus nec mittit visibiliter, nec inuisibiliter: & mittitur visibiliter tum inuisibiliter.*

340 *Missio inuisibilis diuinarum personarum facta est omnibus participantibus gratiam, tam noui, quam veteris testamenti legi subditis: missio autem visibilis facta est tantum ad Patres noui testamenti, & non ad omnes.*

341 *Missio inuisibilis tam in Mosaica quã Euangelica lege facta est non solum ijs, qui ex peccato ad gratiam ascẽdunt; sed etiam ijs, qui ex gratia minori ad maiorem per nouum actum gradum faciunt.*

342 *Ad beatos in principio suæ beatitudinis fit inuisibilis missio diuinarum personarum: tempore verò subsequente fit missio non per augmentum & intensionem gratiæ; sed per eius extensionem ad plura, quatenus plura reuelantur.*

343 *Ad Christum dominum in ipsius conceptione facta est missio Spiritus sancti; postquam non est iterum facta: quia per eam habuit omne gratiæ complementum.*

344 *Etsi per sacramẽta gratia fidelibus cõfertur, et mittãtur personæ; tamen ad ipsa sacramẽta non fit huiusmodi missio; sed ad suscipiẽtes.*

345 *Spiritus sanctus cum apparuit in specie colũbæ, flatus & ignearũ linguarũ: nõ assũpsit has creaturas hypostaticè; sed in illis Angelorũ ministerio factis ad eũ significãdũ, vt significaretur, apparuit.*

DE ANGELIS.

346 *Existere in rerum natura Angelos hoc nomine non ex natura, sed ex officio appellatos: & omnes corporales creaturas naturali perfectione superare, non modo fide credimus: sed etiã naturali ratione exploratũ habemus.*

347 *Angelus est substantia intellectualis, semper mobilis, arbitrio libera, incorporea, Deo ministrans, immortalitatem accipiens gratia, non natura: vt bene ait Damascenus.*

348 *Non sunt tamen corporei respectu diuinæ essentiæ: quæ omni simplicitate est sine comparatione simplicior.*

An-

349 *Angelos à Deo ex nihilo, & non ab æterno creatos fuisse ita certum est; ut id negare sit hæreticum: quamuis id nulla philosophica ratione conuinci possit.*

350 *Creauit igitur illos Deus, non ante tempora, nec in tempore; sed in principio temporum unà cum creatura corporali.*

351 *Locus in quo Angeli, ut Deo assisterent creati fuere, est cœlum empyreum: Angeli verò, qui cœlestes orbes conuertunt, in ipsis sunt creati: Angeli verò qui præsunt elementis, in elementis.*

352 *Omnes Angeli conditi fuerunt in beatitudine imperfecta, & naturali: in supernaturali verò beatitudine ipsos non esse conditos apertè constat.*

353 *Potuisse tamen creari in beatitudine supernaturali firmiter asserimus: quæ tamen tunc non fuisset ipsis naturalis; sed dono gratuito naturæ superaddito concessa.*

354 *Omnes Angeli tam boni, quàm mali in primo suæ conditionis instanti habuerunt gratiam gratum facientem.*

355 *Angeli meriti sunt beatitudinem operatione à libero arbitrio procedente: non tamen ab eo vim meritoriam desumente; sed vi gratiæ gratum facientis.*

356 *Componuntur Angeli ex actu, & potentia ex quo est, & quod est: licet ex materia, & forma minime componi possint.*

357 *Porrò eorum esse magnum numerum firmiter asserimus. & hûc excedere animarum rationalium, & creaturarum corporalium numerum quoad species, consentaneum est sanctorum patrum traditionibus.*

358 *De numero autem præciso Angelorum eos ipsos, qui se certi aliquid habere arbitrãtur, addubitare faciet doctissimorum, & sanctissimorum hominum in hac re tanta dissensio, ut non immeritò scriptum sit, Nunquid est numerus militum eius?*

359 *Etiam si Deus potestate sua absoluta possit creare plures Angelos eiusdem omnino speciei: Philosophicis tamen ac Theologicis rationibus adducimur, ut dicamus eos, qui sunt Angelos specie inter se differre.*

360 *Omnes Angeli, immo omnes rationales creaturæ sunt vnius hierarchiæ ex parte principij, ex parte verò multitudinis ordinatæ, Angeli nec cum hominibus, nec inter se sunt eiusdem hierarchiæ.*

Di-

361 *Distribuuntur autem in tres hierarchias, quia rationes, de quibus illuminantur, poßūnt in triplici gradu considerari, vt à Deo, ut ab vniuersalibus causis, & vt à particularibus dependent.*

362 *In vnaquaque hierarchia sunt tres ordines, supremus, medius, infimus: ordines autem adinuicem distinguuntur penes diuersa officia, & actus diuersos.*

363 *Distinctio hæc hierarchiarum, & ordinum in Angelis distinguitur penes dona naturalia dispositiuè, & penes supernaturalia completiuè.*

364 *Primus ordo est Seraphinorū, alter Cherubinorum, tertius Thronorum: & hi sunt primæ hierarchiæ. post hos sequitur ordo dominationum, tum Virtutum, tum verò Potestatum: & hi sunt in secunda Hierarchia: septimus ordo est Principatuum, octauus Arcangelorum, postremus Angelorum, quibus clauditur tota sanctorum Spirituum hierarchia.*

365 *Quilibet Angelus vltimi ordinis infimæ hierarchiæ, est supremo homine nostræ hierarchiæ natura præstantior; & potest perfectiori modo purgare, illuminare, perficere: qui sūt actus hierarchici.*

366 *Plures Angeli eiusdem ordinis distinguūtur quoad diuersa officia, & actus quos ignoramus: horum autem nullus est æquè perfectus, atque alter.*

367 *In Angelis hi ordines perdurabunt etiam post diem iudicij, eorum autem officia ceßabunt in perductione ad finem: durabunt tamen quoad vltimam finis consecutionem.*

368 *Angelos esse immortales; & tamen à Deo annihilari poße de fide est; & naturali ratione probari potest: & eadem fide credendum est Angelis bonis æternam beatitudinem; malis verò æterna parata esse supplicia.*

369 *Angeli sunt in corporibus cœlestibus, non eos informando, sed mouendo.*

370 *Assumunt nonnunquam vera, & realia corpora, non vt ea informent, aut ipsis hypostaticè vniantur; sed vt in eis diffinitiuè existentes ipsa moueant, & per ipsa repræsententur.*

371 *Corpora quæ Angeli assumunt non sunt humana; neque ab ipsis ex nihilo creata; neque constituuntur ex materia cœlesti; neque ex quatuor elementis componūntur: sed ex aere imperfectè misto*

ea coaptant, & coagmentant.

372 *In huiusmodi corporibus mouetur Angelus per accidens quatenus in vero corpore perseuerat, neque vero in eis opera vitæ exercet: quare nullus vnquam Angelus propriè locutus est, neque comedit secundum vsum humanum.*

373 *Angeli non sunt circumscriptiuè in loco nisi ratione corporum assumptorum: licet sint definitiuè in loco secundum suam substantiam: ita vt eorum substantia verè, & realiter sit in loco.*

374 *Licet Angeli non sint simul vbique: tamen ab vno loco ad aliũ, ita raptim ferũtur; vt breuissimo tẽporis spatio possint vbique esse.*

375 *Angeli non sunt in loco per operationem immanentem circa aliquem locum; sed per realem operationem transeuntem: & hæc operatio vt ab Angelo procedit, recipitur in corpore.*

376 *Potest Deus de potentia absoluta facere, vt vnus Angelus sit in pluribus locis, quam possit esse naturaliter.*

377 *Potest autem esse in pluribus locis non solum distinctis; sed etiam distantibus, inadæquatis tamen, & intra sphæram propriè actiuitatis; non existendo in medio.*

378 *Et quando est in pluribus locis inadæquatis hoc modo illa omnia habent rationem vnius loci, quod si sint plura loca adæquata, aut vnum adæquatum, alterum inadæquatum: aut omnia inadæquata, superantia tamen adæquatum; non potest in ijs Angelus esse eodem tempore.*

379 *Certum est in eodem loco simul existere posse Deum, Angelum, & animam rationalem: illum per essentiam, præsentiam, & potentiam, Angelum per operationem, animam rationalem per informationem.*

380 *Ex parte naturæ, & substantiæ non repugnat plures Angelos esse in eodem loco: si tamen consonantem creaturarum ordinem consideremus; vnus tantum Angelus in vno loco statuendus videtur.*

381 *Motus localis Angeli nihil est aliud, quàm eius operationis ad diuersa corpora applicatio: & quamuis Angelus sit indiuisibilis, potest tamen dum est in loco diuisibili localiter moueri tam motu continuo, quàm discontinuo: quorum motuum principium distinguitur à voluntate Angeli.*

382 *Quando Angelus mouetur motu cõtinuo, necessario debet moueri à*

ri à loco ad locum per medium, quod si discontinuo motu feratur; potest sine medio pertransire: non potest autem vllo motu, neque continuo, neque discreto in vacuo moueri.

383 *Non potest Angelus moueri vllo motu in instanti temporis continui. sciendum autem est neque tempus discretum; neque continuum, quo mensuratur motus Angeli, esse idem cum nostro tempore continuo.*

384 *Motus continuus Angeli incipit per vltimum sui non esse, & desinit per primum sui non esse: motus autem discontinuus si mensuratur tempore discreto incipit per primum instans sui esse; & desinit per vltimum sui esse.*

385 *Si motus localis Angeli mensuratur tempore siue motus sit continuus, siue discontinuus, semper desinit esse in termino à quo per vltimum sui esse in illo: at verò non potest incipere esse in termino ad quem, siue motu continuo, siue discreto per primum sui esse: sed tantum per vltimum sui non esse in illo.*

386 *Potest Angelus esse in loco diuisibili, non indiuisibili, quare habet terminum magnitudinis sui loci, sed non paruitatis. & hinc est quod Angelus non semper est in loco suo adæquato: sed potest esse in minori.*

387 *Non potest Angelus quiescere in aliquo loco in instanti temporis continui; potest autem in instanti temporis discreti.*

388 *Operationes Angeli distinguuntur ab ipsius essentia non solum formaliter, & realiter; sed etiam tamquam res à re.*

389 *Quamquam Deus custodit homines immediatè; tamen decens erat vt custodirentur ab Angelis; tum in innocentiæ statu; tum post lapsum in peccatum originale.*

390 *Neque dæmonibus, neque Angelis bonis, neque animabus à corpore solutis, neque beatis deputati sunt Angeli custodes; sed tantum hominibus viatoribus ab egressu vteri vsque ad ingressum vel præmij, vel pœnæ.*

391 *Diuina misericordia non negabit Antichristo Angelum custodem; cum sit futurus purus homo: fieri tamen poterit cum caput malorum factus fuerit, vt illum derelinquat.*

392 *Hominum custodia non cuicunque Angelo; sed tantum Angelis quinque inferiorum ordinum est à Deo commissa.*

Gan-

393 *Gaudium, & beatitudo Angeli custodis de sibi commisso iam ser nato, & ad Vltimum finem perducto, non augetur intensiuè, sed extensiuè, quia de pluribus gaudet, quam antea gauderet: de perditione autem ipsius, nec accidentaliter quid tristatur.*

394 *Eadem ratione malum Angelum de hominis à se oppugnati glorificatione accidentaliter tristari; de eius autem perditione nullo modo lætari censeo.*

395 *Angeli custodes magis solliciti sunt pro salute hominum quàm dæmones pro perditione, licet plures intereant, quàm Vitæ æternæ præmium accipiant.*

396 *Inter Angelos custodes, qui præstantiores sunt natura, & gratia, deputantur custodiæ hominum insigniorum, non in gratia; sed in officio.*

397 *Et iuxta hunc ordinem Vniuerso hominum generi præsunt Arcangeli: Vniuersæ creaturæ corporali præsunt Virtutes.*

398 *Christo Domino deputatus est Angelus custos tamquã minister quoad corporalia, non quoad animam; quia non erat purus homo.*

399 *Deus non quæret ab Angelis custodibus rationem de homine custodito, & damnato in die iræ; sed eos Vocabit in iudiciũ quasi testes negligentiæ, & pigritiæ ipsius.*

400 *Angelus custos non semper est præsens homini secundum locũ; est tamen semper præsens illi secundum custodiam, quia dum est in cœlo cognoscit quæ fiunt circa hominem custoditum.*

401 *Intellectio Angeli distinguitur à substantia, & esse Angeli formaliter tantum; sicut etiam potentia intellectiua.*

402 *Potentia intellectiua Angelorum non diuiditur in intellectum agentem, & possibilem; nisi æquiuoce sumantur.*

403 *Angelus non omnia intelligit per suam substantiam; sed multa per species intelligibiles, Vel inditas, Vel à rebus acceptas; Vt homines.*

404 *Intellectio Angeli quantocunque locorum interuallo, & cuiussuis corporis oppositione, nec impeditur omnino; nec debilitatur.*

405 *Species intelligibiles Angeli non sunt eductæ de ipsius substantia; sed à Deo Optimo Maximo & creatæ, & ipsius intellectui infusæ.*

406 *In intellectu angelico, præter species earũ rerũ, quas naturaliter*

cognoſcit, eſt neceſſarium aliquod lumẽ infuſum, quo cognoſcat res ſupernaturales, quas non cognoſcit in Verbo eſſentiali Viſione beatifica.

407 *Ad ea Verò cognoſcenda, quæ Angelus naturaliter cognoſcit, non eſt neceſſarius habitus aliquis ſiue acquiſitus, ſiue infuſus.*

408 *Ad ea cognoſcenda quæ neque ſupernaturalia ſunt; neque naturaliter cognoſcit, diſponitur per multiplicationem actuum.*

409 *Poteſt Angelus plura ſimul intelligere, quatenus ipſa repreſentantur per Vnam ſpeciem: ſed Angelus ſuperior eadem intelligit per pauciores & Vniuerſaliores ſpecies.*

410 *Angelus ſeipſum intelligit, ac intuetur, non per ſpeciem à Deo infuſam; neque per Verbum diuinum tamquam ſpeculum; ſed per ſuam met ſubſtantiam fungentem officio ſpeciei.*

411 *Angelus, qui alium Angelum non in Verbo cognoſcit, non cognoſcit eum per ſuam, aut eius ſubſtantiam; ſed per ſpeciem ſibi ab initio ſuæ conditionis concreatam.*

412 *Poſset tamen fieri, Vt ſi Angelus non haberet ſpeciem; illi ita intime Vniretur; Vt per ſuam met eſſentiam ab illo cognoſceretur.*

413 *Angelus naturaliter Deũ cognoſcit per ſuam met eſſentiam, etiã ſi hæc cognitio obſcura ſit: quippe quæ fit per ſpeculum, quod fermè nullam habet ad rem repreſentatam proportionem.*

414 *Angeli cognoſcunt naturaliter res materiales & ſingularia; nõ autem futura contingentia; niſi ex diuina reuelatione, Vel per coniecturas.*

415 *Prima radix cur Angelus non poſsit naturaliter cognoſcere cogitationes liberas alterius Angeli, Vel hominis, eſt quia cognitio illarum non comprehenditur ſub ordine Vniuerſi.*

416 *In cognitione ſingularium, neque accipiunt ſpecies à rebus: neq; ab illis Vllo modo afficiuntur, & per eaſdem ſpecies cognoſcunt res quando actu exiſtunt & quando non exiſtunt.*

417 *Quod ſi nunc hoc ſingulare cognoſcunt, quod prius cognoſcere non potuerint; id prouenit ex reali mutatione facta in ipſa ſpecie: quam Variationem à Deo fieri credo.*

418 *Comprehendit Angelus ſuperior inferiorem cognoſcendo eum per eius ſubſtantiam: at Vero inferior ſuperiorem quidditatiuè quidem cognoſcit: ſed non comprehendit.*

Ange-

419 *Angelus non cognoscit Deum per speciem inditam immediatè representantem Deum: sed per species intelligibiles representantes quidditates rerum creatarum.*

420 *Angelum cognoscere materialia, & singularia de fide est: hoc autem differt ab homine, quod Angelus per eandem potentiam cognoscit vniuersalia, singularia, materialia, immaterialia.*

421 *Licet Angelus cognita substantia alterius Angeli species intelligibiles illius videat: non potest tamen cognoscere quomodo illis speciebus vtatur, dum aliquid cognoscit.*

422 *Cogitationes cordium, & intimos voluntatis affectus, si possũt aliquo corporali signo prodi; possunt ab Angelis naturaliter cognosci: sin autem nullo signo manifestari possunt; solus ille penetrat; ad quem dicitur, Tu solus nosti corda filiorum hominum.*

423 *Quilibet Angelus cognoscit naturaliter cogitationes, & affectiones alterius Angeli naturales, & necessarias quantum ad exercitium, & specificationem.*

424 *Non est dicendum Angelos cognoscere cogitationes, & affectiones cordium quantum ad substantiam, & obiecta; non autem ad quẽ finem dirigantur; malum nè, an bonum.*

425 *Angeli cognitione naturali non cognoscunt mysteria gratiæ: at per cognitionem supernaturalem & beatificam omnes cognoscunt mysteria gratiæ, licet inæqualiter: nam tanto quis ea clarius intuetur; quanto maiori lumine gloriæ illustratur.*

426 *Angeli à principio suæ conditionis cognouerunt quædam mysteria gratiæ, vt incarnationis: cætera verò temporis successu.*

427 *Omnes quidem Angeli à suæ conditionis principio cognouerunt mysterium incarnationis in generali, & quoad eius substantiam: quoad circunstantias autem paucis est concessum.*

428 *Angeli quod ea quæ naturaliter cognoscunt, non sunt in potentia ad actum primum cognitionis ipsorum.*

429 *Quod ea, quæ non naturaliter cognoscunt non est inconueniens, quod asseramus ipsos esse in potentia ad actum primum cognitionis illorum.*

430 *Repugnat dari vicissitudinem, ac varietatem in visione beatifica Angelorum, quare semper sunt in actu secundo quoad illam.*

431 *Angelus nunquam desistit à cognitione sui, & Dei, vt auctoris*

ris

ris naturæ propria: ab hac tamen posteriore cognitione eos nonnunquam desistere non repugnat.

432 *Angelus non habet cognitionem in actu primo mysteriorum, quæ illi Dei beneplacito reuelantur, neque cogitationum intimarum hominum.*

433 *Angelus potest desistere à cognitione cuiuscunque creaturæ, etiam ordinis vniuersi.*

434 *Non potest intellectus angelicus simul & semel actuari pluribus intellectionibus distinctis eiusdem ordinis & speciei.*

435 *Non repugnat intellectui angelico vti simul duabus speciebus pro intellectione plurium rerum; si tamen illæ res in ordine ad vnū ab Angelo intelligantur.*

436 *Potest Angelus vti pluribus speciebus, & intelligere simul plura remissè ex parte sui; perfectè autem ex parte obiectorum.*

437 *Angelus ea, quæ vidit in verbo, videt omnia simul, & vnica visione beatifica.*

438 *Potest angelus vnica intellectione intelligere plura, quæ repræsententur per vnicam speciem: similiter potest nolle simul intelligere omnia, quæ per illam speciem representari possunt; sed vti illa succeßiuè pro diuersis rebus intelligendis.*

439 *Angeli naturaliter intelligunt simplici intuitu sine discursu; tamen discurrere possunt si velint; & in suo discursu falli non possunt.*

440 *Angeli nec componunt, nec diuidunt: tamen nostram compositionem, & diuisionem cognoscunt; sed neque componendo, nec diuidendo.*

441 *Simplex intellectio angelorum æquiualet nostræ diuisioni, & compositioni; vt quemadmodū nostra compositio, & diuisio dicitur vera, vel falsa; ita eorum conceptio.*

442 *Angelus bonus neq; quoad ea, quæ naturaliter, neque quoad ea quæ supernaturaliter cognoscit falli potest: angelus verò malus potest falli etiam quod ea, quæ naturali lumine intellectus attingere potest.*

443 *Habent angeli duplicem cognitionem, alteram matutinam, qua cognoscunt ea, quæ vident in verbo, alteram vespertinam, qua vident res in seipsis.*

Ira-

444 *Irascibilis, & concupiscibilis potentia in nullo, nec bonorum, nec malorum angelorum reperitur, nec proinde passiones illius.*

445 *Probabile est esse impossibile, vt angelus in quocunque sit statu, & anima à corpore separata, suspendat omnem actum intellectus, & voluntatis.*

446 *Angelus cum vtitur pluribus speciebus, impossibile est, vt singula, quæ per illas cognoscit, comprehendendo cognoscat.*

447 *Probabile est angelum posse per eandem speciem vniuersalem diuersos formare conceptus, præsertim circa distinctas quidditates specie differentes in esse entitatiuo: quamuis cōueniant in esse intelligibili sub eadem ratione specifica.*

448 *Angelus perfectius cognoscit Deum per cognitionem sui ipsius, & alterius creaturæ quantumuis infirmæ; quàm per cognitionem sui ipsius tantum.*

449 *Angelus perfectius cognoscit Deum per suam met essentiam, quàm per cognitionem cuiuscunque, vel hominis, vel creaturæ inferioris se.*

450 *Angelus superior clarius videt Deum per suam speciem intelligibilem solam, quàm cognoscat Angelus inferior per eandem.*

451 *Angeli dum erant viatores, quamuis essent certi per fidem, quod mysterium Trinitatis esset sibi à Deo reuelatum: non tamen habebant euidentiam reuelationis.*

452 *Angelus potest cognoscere quidditatem suam eadem intellectione, & eodem verbo, quibus intelligit seipsum existentem actualiter.*

453 *Angelos inter se colloqui catholica fide constat: non manifestant autem alijs angelis conceptus suos immediatè causando illos in mente angelorum; sed illos ordinando & dirigendo angelis quibus cum loquuntur.*

454 *Angelus alteri Angelo conceptum suum manifestat non cogendo illum, vt audiat: quo fit, vt possit Angelus alteri Angelo loqui, & ille non audire; nisi esset inter illos perpetua, & inuiolabilis concordia.*

455 *Angeli sancti timent Deum non timore seruili; sed filiali: quare neque timent propriæ beatitudinis amissionem, nec separationem à Deo, siue per peccatum, siue alio modo.*

An-

456 *Angeli habent naturalem dilectionem, qua prosequuntur suos actus elicitos, & necessarios ad minus quoad specificationem.*

457 *Angelus seipsum, & alios diligit dilectione naturali, & electiua, & superiores quidem Angelos perfectius diligit ratione obiecti quàm seipsum; seipsum tamen diligit intensius.*

458 *Potest Angelus diligere intensius Angelum se inferiorem quatuor gradibus, quam se superiorem sex gradibus: semper tamen hũc magis diligit appreciatiuè.*

459 *Angelus sanctus maiori amore flagrat erga Deum, quàm erga seipsum, & eum magis diligit non solum appreciatiuè; sed etiam intensiuè.*

460 *Angeli post primum actum charitatis, quo beatitudinem meruerunt, statim beati facti sunt: gratiam verò perfectiorem, aut imperfectiorem habuerunt iuxta perfectionem naturalem.*

461 *Possunt homines mereri tantam gloriam, quantam quilibet Angelus cuiuslibet ordinis; & assumi ad eos ordines: & eadem ratione existimo animas dãnatas assumi ad pœnas dæmonũ iuxta demerita.*

462 *Angeli cognouerunt quidem euidenter humanitatem Christi, Domini carere subsistentia propria; sed non cognouerunt euidenter incarnationis mysterium, quia non cognouerũt an humanitas hypostaticè vniretur, an verò à Deo sustentaretur.*

463 *Angeli non acceperunt nec gratiam, nec gloriam ex meritis Christi; sed tantum dona quædam quæ non spectant ad gloriam essentialem.*

464 *Angelus superior illuminat non solum Angelum sibi immediatè inferiorem; sed etiam Angelos alterius ordinis, & hierarchiæ multo se inferiores, siue mediatè, siue immediatè.*

465 *Possunt Angeli immutare sensus hominis tam interiores, quàm exteriores; & intellectum nostrum illuminare de cogitandis, cognoscendis, & agendis.*

466 *Vnus Angelus necessariò non tamen coactus, & contra propriam voluntatem amat alium quoad specificationem; quoad exercitium verò potest non amare.*

467 *Superior Angelus illuminat inferiorẽ manifestando ei veritatẽ, quam ipse cognoscit; & confortando eius virtutem intellectiuam, & rem intellectui, ac captui addiscentis accommodando.*

An-

468 *Angelus superior non potest sufficienter mouere voluntatem inferioris, neque ex parte potentiæ, neque obiecti: sed solum potest eam inclinare proponendo ei obiectum.*

469 *Angeli immediatè possunt mouere corpora motu locali, etiam eo, qui non consequitur formas ipsorum: per motum autem localem possunt causare alios motus; adhibendo tamen agentia naturalia illorũ.*

470 *Non possunt Angeli sua virtute naturali operari miracula simpliciter; sed tantum quoad nos, quatenus eorum causas, & modum ignorantes supernaturalia existimamus.*

471 *Angeli autem ordinis virtutum dicuntur operari miracula; vel quia Deus vtitur illis ministris ad operanda miracula; vel quia ad eorum impetrationem miracula facit.*

472 *Non potest Angelus siue bonus, siue malus naturali virtute consacrare, baptizare, aut absoluere: si tamen constet per auctoritatem Ecclesiæ aliquem ab Angelo bono baptizatum, aut absolutum fuisse; non est reiteranda confessio, & baptismus.*

473 *Tam Angelus, quàm quæcunque alia creatura, si secũdum naturam suam consideretur, potest peccare: quare Angeli habent, vt nõ possint peccare, non ex natura; sed ex dono gratuito.*

474 *Angeli beati peccare non possunt de lege ordinaria: possunt tamen de absoluta: quo fit, vt eorum absurda sit opinio, qui tempore Noe Angelos descendisse, & cum hominibus peccasse autumant.*

475 *Etiam si honorificum sit Angelis deputari ad tutelam alicuius regni, vel prouinciæ: hoc tamen non spectat ad eorum beatitudinẽ.*

476 *Supremus beatorum angelorum est subiectum æui, quo mensurãtur omnes Angeli & dæmones; non autem lucifer.*

477 *Omnes creaturæ corporales administrantur per Angelos: non sunt autem singulis corporum speciebus præpositi Angeli ad opera naturalia explenda.*

478 *Neque verò est vnus Angelus, qui præsit vniuersæ sphæræ actiuorum & passiuorum; sed tot Angeli positi sunt, qui præessent rebus corporalibus, quot modis illæ subsunt diuinæ regulæ in ordine ad finem prædestinationis.*

479 *Formæ materiales non sunt participationes formarum immaterialium, id est angelorum: ita vt ad eorum nutum materia formam recipiat: sed vel immediatè à Deo infunduntur materiæ; vel virtu-*

te naturali educuntur de potentia illius.

480 *Angeli illuminant homines in intelligibilem veritatem, eam ipsis sub velaminibus proponentes, & intellectum hominis, cui reuelationem faciunt, fortificantes.*

481 *Non mittuntur ad nos Angeli cuiuslibet ordinis de lege ordinaria: etiam si hoc fieri posſit de abſoluta: item quæ munera obeunt inferiores Angeli, poſſent obire ſuperiores ſe ſolis.*

482 *Inter hos qui ſumma annunciant Arcangeli vocantur; Angelorum vero vnuſquiſque iuxta ſuæ naturæ perfectionem in nobilius miniſterium mittitur.*

483 *Soli Angeli primæ hierarchiæ dicuntur aſſiſtere Deo: quod eſt diuina myſteria in charitate diuinæ eſſentiæ percipere.*

484 *Angeli ſexti ordinis nempe dominationum dicuntur mitti in miniſterium: non quòd aliquid exequantur: ſed quòd omnes diſponant, & mandent alijs, vt exequantur.*

485 *Deus, non modo Angelos; ſed neque vllam aliam quantumuis nobilem creaturam impeccabilem creare potuit ex natura ſua, tam quoad præcepta naturalia, quàm quoad ſupernaturalia.*

486 *Probabiliter aſſerimus fœtum dum eſt in vtero cuſtodiri ab Angelo cuſtode matris, & cum primum in lucem editur, deputari ipſi Angelum cuſtodem.*

487 *Ex omnibus hierarchijs, & ordinibus aliquis Angelorum cecidit: nullus autem angelorum nec præſcitus, nec prædeſtinatus præſciuit ſe damnandum, vel glorificandum fore.*

488 *Angeli mali inferiores noluerunt parificari Deo vt lucifer: ſed tantum voluerunt eſſe quieti, & beati in æternum ſine meritis, & obſequio.*

DE DAEMONIBVS.

489 *NOn placet definitio illa dæmonum, quæ dicit dæmones eſſe genere animalia, mente rationalia, animo paſſiua, corpore aerea, duratione æterna, cum conſtet eſſe Angelos malos eiuſdem naturæ cum bonis.*

490 *In dæmonibus eſt liberum arbitrium circa mala tantum: quatenus*

uus possunt hoc, vel illud malum eligere: nunquam tamen bonum.

491 *Etiamsi dæmones diligant Deũ vt authorem naturæ, & conser uatorem: tamen nihilominus peccant etiã in hoc ipso diligendi actu.*

492 *Angelus non peccauit, neque peccare potuit in hoc quod malum eligeret: sed peccauit eligendo aliquid, quod secũdum se bonum erat; sed tamen indebitum, ideoque peccauit non ex ignorantia; sed ex inaduertentia, & inconsideratione.*

493 *Angeli reprobi ita habent odio Deum, vt auctorem gratiæ; vt ex eo etiam inducantur ad peccandum contra præcepta naturalia.*

494 *In dæmonibus sunt omnia peccata secundum reatum: licet secundum affectum peccatũ primũ primi Angeli non potuerit esse aliud, quàm superbia, quam consecuta est inuidia.*

495 *Sub inuidia, & superbia; quas in dæmonibus fuisse expresse legimus, comprehenduntur omnia peccata, quæ ab illis deriuantur.*

496 *Omnes actus naturæ dæmonũ boni sunt: cõtra verò omnes actus voluntatis mali, vnde possunt facere actum bonum in genere, qui tamen malus sit ex ipsorum voluntate.*

497 *Quamuis considerata pronitate ad peccandũ minor appareat ratio peccandi in superioribus Angelis, quàm in inferioribus: tamen omnium supremus primus, & maximè omnium peccauit.*

498 *Diabolus appetijt esse vt Deus non per æquiparantiam: sed quia appetijt, vt finem vltimum id ad quod naturali virtute peruenire tẽtabat, dimissa & contempta beatitudine supernaturali.*

499 *Quod si appetijt beatitudinem supernaturalem; illam desiderauit habere, non ex gratia; sed ex natura: atque ita desiderauit Principatum, & Imperium super alias creaturas; atque ita Deo assimilari.*

500 *De fide est nullam creaturam esse naturaliter malam, nec Angelos in primo suæ conditionis instanti malos fuisse per peccatum propriæ voluntatis.*

501 *Angeli in primo suæ conditionis instanti non modo non peccauerunt; sed nec peccare quidem potuerunt.*

502 *Potuerunt tamen omnes in primo instanti mereri: immo omnes de facto meruerunt tam boni quàm mali: si tamen statim in secundo instanti proprium meritum peccato mortificauerunt.*

503 *Peccatum primi Angeli fuit causa peccati aliorum non cogẽs; sed quadam quasi exhortatione inducens: pauciores tamen indu-*

xit ad peccandum, quam essent qui permanserunt in gratia.

504 *Dæmones tanto grauius peccauerunt, quanto erant naturæ præstantioris: Vnde existimo luciferum etiam si alterius dæmonis instinctu peccasset; grauius tamen quoad intensionem actus peccaturum fuisse.*

505 *Non potuerunt Angeli peccare venialiter, nec in statu viæ, nec in statu beatitudinis: Dæmones autem, qui sunt in statu damnationis mortaliter peccant.*

506 *Motus inordinatus, quo dæmon latus est in Deum, cum esset in via, fuit culpa: nunc verò est illi pœna, id quod de hominibus etiam dicendum censeo.*

507 *Dæmones ita se auerterunt à Deo per primum peccatum, vt amplius se auertere non potuerint: contra verò Angeli ita se in Deum conuerterunt per primum actum meriti, vt amplius non potuerint posita lege Dei.*

508 *Si dæmones pœnituisset de suo peccato, veniam consequerentur; si id facerent propter offensam Dei: sin verò propter grauitatem pœnarum; nequaquam.*

509 *Secundum fidem Catholicam credendum est, quòd voluntas bonorum angelorum confirmata est in bono; voluntas verò malorum obstinata est in malo.*

510 *Causa obstinationis ipsorum dæmonum non est grauitas culpæ ipsorum; sed conditio status, sunt enim extra viam: propria verò causa est inflexibilitas arbitrij eorum, ex qua prouenit vt voluntas immobiliter adhæreat fieri, ad quem semel se liberè conuertit.*

511 *Nullus Angelorum, qui peccauerunt de facto consecutus est veniam, aut veram sui peccati pænitentiam egit: sed continuo post peccatum omnes acceperunt suæ damnationis sententiam.*

512 *Obstinatio dæmonum non solum includit diuini auxilij denegationem, ob quam impoßibilis est illis fructuosa pænitentia; verum etiam prauum voluntatis affectum, qua dæmones adhærent prauo fini, in quem se retulerunt in vltimo instanti viæ.*

513 *Non prouenit autem ex aliquo malo habitu causato in voluntate à Deo, neque ex eo, quòd Deus conseruet in ipsis odium sui ipsius.*

514 *Dæmonum accidentalem pœnam, & beatorum angelorum accidentale gaudium non solum ante; sed etiam post iudicium augendũ*

esse

esse probabile est.

515 *Dæmones, & damnati non possunt suspendere omnem suam operationem: immo illi non possunt suspendere omnem actum voluntatis quo feruntur circa suum vltimum finem.*

516 *Dolor, vt est passio non potest esse in dæmonibus: est autem in ipsis vt est actus voluntatis repugnans obiecto.*

517 *Et hic dolor de carentia visionis diuinæ secundum quandam rationem ad pœnam sensus reduci potest, sed propriè, & in rigore ad pœnam damni spectat.*

518 *Locus, qui debetur dæmonibus ratione culpæ est infernus: tamen multi versantur in hoc aere caliginoso ad exercitationem hominũ.*

519 *Infernum esse quendam specialem locum in quo dæmones, & damnati homines delictorum suorum pœnas luant, de fide est.*

520 *Hunc locum esse sub terra catholica fide constat: esse autem in ipsius Terræ centro probabile est.*

521 *Ignis inferni est corporeus & sensibilis, & eiusdem speciei cũ igne, qui est apud nos, & creatus fuit à principio mundi.*

522 *Hic ignis non solum puniet corpora damnatorum post diem iudicij, sed etiam punit nunc illorum animas.*

523 *Ignis inferni cruciat dæmones quatenus ipsi alligantur illi tamquam horrendo carceri, & quatenus est instrumentum diuinæ iustitiæ, & potentiæ, quod dæmones apprehendentes tamquam malũ, & noxium, tristantur, & dolent.*

524 *Animas in purgatorio detentas non existimo angelorum aut dæmonum mysterio torqueri; sed à solo igne.*

525 *Inflictæ à Deo dæmonibus pœnæ efficiunt, vt non iudicent se posse amplius similes fieri altissimo: nec tamen effecerunt, vt id non appetant: vnde si quam viam inuenire possent, quà se existimarẽt ad solium gloriæ peruenire posse; id pro viribus tentarent.*

526 *Inter dæmones est prælatio, & subiectio, qua vnus imperat alteri: atque ita fortiores contra homines efficiuntur: etiam si inter ipsos sint priuatæ inimicitiæ propter ambitionem.*

527 *Probabile est cessante eorum pugna cum hominibus, quod fiet in consummatione sæculi, cessaturam etiam eorum rempublicam: atque ita omnes inter sese futuros discordes.*

528 *In dæmonibus ordo secundum gloriam numquã fuit, ordo verò*

secun-

ſecundum naturalem perfectionem eſt in ipſis à primo ſuæ conditionis inſtanti: ordo autem ſecundum ſtatum gratiæ fuit in via; nunc autem non eſt.

529 *Inter dæmones, qui ſunt natura inferiores ſubijciuntur ſuperioribus, & præſtantioribus, & hæc ſubiectio, & prælatio nonnunquam deordinatur per eorum diſcordiam.*

530 *Dæmones non modo ſubijciuntur Angelis, quibus natura inferiores ſunt: ſed etiam quibus natura ſuperiores, & hæc prælatio, & ſubiectio in æternum durabit.*

531 *Cognitio naturalis dæmonibus nec eſt ablata; nec diminuta, & idem aſſerendum de potentijs naturalibus ipſorum.*

532 *Probabiliter aſſerimus dæmones ante crucis myſterium non cognouiſſe Chriſtum eſſe filium Dei; ſed cognouiſſe eſſe Meſsiam in lege promiſſum.*

533 *Nullus Angelus ex his qui ceciderunt vidit, aut videt diuinam eſſentiam, nec in tranſcurſu quidem, aut per modum tranſeuntis: immo neque etiam boni angeli antequam confirmarentur in gratia.*

534 *Dæmon non poteſt illuminare alium dæmonem, neque quoad naturalia, neque quoad ſupernaturalia; ſed tantum poteſt oſtendere ei voluntatem ſuam.*

535 *Dæmones cognoſcunt veritatem tripliciter, per naturam, experientiam, & reuelationem, & hæc cognitio eſt tantum ſpeculatiua in ipſis, quatenus non producit Dei amorem.*

536 *Dæmones non habent cognitionem meridianam, quia hanc habet ſolus Deus, nec matutinam, aut veſpertinam, quia ſoli Angeli has habent; ſed nocturnam.*

537 *Dæmones reſpectu ſpeculabilium, præſertim contingentium in multis decipi poſſunt, cum intellectus eorum per culpam ſit obnubilatus: reſpectu verò agendorum, cum habeant intellectum, & voluntatem ſubuerſam dicuntur facti tenebræ.*

538 *In dæmonibus quoad memoriam, quæ dicit habitum nulla cadit obliuio; ſed quoad actum recordandi dicuntur obliti præſertim ſuæ ſalutis, & beneficiorum Dei.*

539 *Poſſunt (& aliquãdo fecerũt) Dæmones vti hominibus ſuccubis, & incubis velint, nolint, non carnalis deſiderio voluptatis: ſed vt excitent illud in hominibus; ac proinde peccatis obnoxij facilius à*

dæmo-

dæmonibus vexari tũ in præsenti, tũ in futuro sæculo permittuntur.

540 *Poßunt etiam; nisi exorcismis, aut viri sanctitate opprimantur, morbos inferre, impedire digestionem, effectúsque medicamentorũ vsque ad mortem.*

541 *Deus cuius iudicia occulta sunt multa, iniusta nulla, permittit homines à dæmonibus vexari, vel ad eorum, qui vexantur merita cumulanda, vel ob eorum, aut parentum peccata.*

542 *Miracula Dei, & dæmonum præstigiæ sex inter se discerniculis dignosci poßunt: primo quia illa sunt vera miracula; hæc minimè: secundo quia illa non fiunt nisi à Deo, vel per Angelos, vel per Sanctos viros, & per malos rarißimè: hæc verò nonnisi flagitiosorũ hominum ministerio: tertio miracula Dei sunt ad vtilitatem hominũ, & gloriam Dei: hæc verò nullam vtilitatem præ se ferunt: quarto Sancti operantur miracula cum deuotione & diuini nominis inuocatione; Magi adhibitis certis herbis, characteribus, & statis horis: quinto miracula Dei fiũt ad deuotionẽ excitan. Magorũ ad turpe lucrũ, & flagitia perpetrãda & vanã gloriã: sexto facta cõparatione demũ, apparet Dei uera esse miracula; Magorũ meras eße præstigias.*

543 *Possunt dæmones efficere vt corpora assumpta videantur, aut lateant: item videantur ab vno, vel à pluribus, vel in parua, vel in magna distantia, & quantitate, & diuersis coloribus.*

544 *Et quãuis innumeris penè modis homines deludere conẽtur vt ipsi homines nesciant boni ne sint, an mali angeli: hoc tamen vel maximè à bonis dignosci possunt, quòd eos, quibus apparent primo aspectu lætos reddunt: sed tandem mæstos relinquunt.*

545 *Dæmones plerunque obsidere solent mulierculas, ac puellas, vt se occultent sub specie humorum matricalium, & quia hic sexus facilius terretur, & quia sunt cerebro leuiores, & subiectæ mutationibus lunæ, ac proinde effectus dæmonum lunæ tribuuntur.*

546 *Non detegunt etiam peccata circunstãtium ne pudore ad pœnitentiam adducantur, ac proinde in gratiam Dei redeant: ac ne se ipsos prodant.*

547 *Non loquuntur autem varijs linguis ne se ipsos detegant, & vt astantium curiositas confundatur, Deo permittente: ideoque nunquam ferè loquuntur externis linguis; nisi cum astantes sunt imperiti.*

Quo-

548 *Quoniam dæmones pacta cum malefico conditione non desistunt obsessum vexare quoad durauerit: ideo licet; immo pium opus est recurrere ad maleficos vt maleficium simplici dissolutione destruát, non adhibito tamen nouo maleficio.*

549 *Adorare absolutè dæmonē Christi Domini, vel boni Angeli speciem referentem; est peccatum idololatriæ.*

550 *Dæmones possunt illabi corporibus humanis, non animabus: at verò animæ damnatorum nec animabus, nec corporibus illabi possunt.*

551 *Nec Angeli boni, nec dæmones possunt immediatè producere formam, vel substantialem, vel accidentalem in materia sine dispositionibus requisitis naturaliter.*

552 *Possunt tam Angeli quàm dæmones producere nouos effectus, qui fiunt sine formæ introductione, vel per partium separationem, vt statuam, vel per coniunctionem, vt parietem, & id genus alia.*

553 *Possunt etiam omnia, quæ arte fieri possunt ab hominibus mira celeritate, & arte perficere: ita vt nobis nonnisi supernaturali virtute fieri posse videantur.*

554 *Dæmones non possunt formare corpus humanum, nec immediatè nec virtute naturali applicando actiua passiuis.*

555 *Dæmones quatuor modis impugnant homines: primo proponendo sensibus exterioribus obiectum extrinsecum: secundo excitando interius passiones in appetitiua, & irascibili potentia: tertio immutando phantasiam, & imaginatiuam: quarto concitando indirectè virtutem cognoscitiuam.*

556 *Dæmones tribus modis sensus hominis deludunt: primo ostendūt præsens esse, quod non est, species offerendo: secundo ostendendo rem aliter, quàm sit, per immutationem sensus, vel obiecti: tertio abscōdendo id, quod præsens est, per interpositum impedimentum.*

557 *Decipiunt etiam homines proponendo aliquid, quod malum sit, vel falsum sub specie boni, vel veri præsertim in somnis.*

558 *Quoniam Deus Optimus Maximus ordinem vniuersi ita disposuit; vt inferiores creaturæ beneficio superiorum suum finem consequerentur: ideo existimo ipsum voluisse, vt homines per Angelos bonos directè, per malos indirectè ad cælestem gloriam introducerentur.*

Dia-

559 *Diabolus tentat homines primo vt corrumpat eorum fidem: secũdo vt conseruet in ipsis superstitiones: tertio ad inducendum malum habitum contrarium virtutibus; quarto ad hominem confirmandũ in suis iniquitatibus: quinto ad hominem affligendum; vt impatiens Deum offendat.*

560 *Non debemus absolutè appetere nos tentari à diabolo; sed tantùm sub conditione, idest supposito quod resistamus.*

561 *Diabolus tẽtauit Aeuam, nõ Adamum, quia ipsa erat simplicior & fragilior; locutione corporali, quia efficacior; sub specie serpentis, Deo permittente; vt eius calliditas ostenderetur, & homines per peccatum tanto magis deprimerentur.*

562 *Dæmones tentant homines, vel quia solatium est miseris socios habere pœnarum; aut ob inuidiam: aut quia mala arbor non potest bonos fructus facere.*

563 *Possunt tam dæmones, quàm Angeli sancti immutare efficaciter imaginationem hominis non modo dormientis, verum etiam vigilantis per motum localem spirituum & humorum.*

564 *Sensus autem exteriores poßunt efficaciter immutare; tum ad intra; sicut mutatur lingua infirmi; tum ad extra obiecta proponendo; & tandem poßunt immutare omnem potentiam vtentem organo.*

565 *Dæmones mittuntur à Deo non ad homines seducendos, sed puniendos: seducunt autem ex propria malitia diuina accedente permißione.*

566 *Tentare hominem ad eius animum manifestandum non sibi; sed alijs est proprium Dei: ad eius verò animum penetrandum, est proprium hominis: ad eum verò seducendum est proprium diaboli, & ministrorum eius.*

567 *Omnia peccata, quæ homines committunt causantur à dæmone indirectè; non autem directè, quod si dæmon à viro sancto superetur; non arcetur à tentatione ipsius, nisi per aliquod breue tempus.*

568 *Dæmones non potuerunt naturali virtute conuertere virgas magorũ in serpentes; sed dum magi virgas proiecerunt; ipsas ab oculis spectantium euanuisse; locoque illarum serpentes aliunde allatos suppositos eße verisimile est.*

569 *Dæmon potest impedire vsum rationis si à Deo permittatur: & ideo potest cogere ad actum materialem peccati, non ad peccatum.*

570 *Dæmoniaci nesciunt quid vocis sono ædant quando diabolus in eis loquitur. idem existimandum de serpente qui Aeuam tentauit, & de Asina Balaam.*

571 *Dæmones nonnunquam leuitates aliquas faciunt ridēdo, flendo, & similibus; non quod desipiant: sed vt ijs familiares facti; facilius insidias moliri possint.*

572 *Dæmones in actionibus suis immanentibus; nec per se nec per accidēs: nec directè cœlestium orbium influxibus subditi sunt: in actionibus verò transeuntibus subduntur cœlis, non ratione sui: sed ratione rei in quam agunt.*

573 *Non licet dæmones adiurare per modum deprecationis, vel inductionis; nec aliquid ab ijs discere, vel obtinere, sed per modum coactionis cum inuocatione diuini nominis, ad eorum in nos iniurias repellendas.*

574 *Potest dæmon nos compellere ad cogitationes malorum, sed non ad cogitationes malas: cum præsertim animus noster nulla re vtili occupatus vagatur.*

575 *Existimo dæmones tam ante quam post iudicium sicut hominum fuerunt hic incentores in culpa, ita in inferno futuros tortores in pœna.*

DE DAEMONIACIS MAGICISQVE ARTIBVS.

576 *MAgia duplex est, altera infamis, & immundorum spirituum incantationibus concinnata, nihil faciens; nisi dæmonum arte, & auxilio fulta; Altera naturalis, rerum naturalium adminiculo, vt lapidum, herbarum, animantium, cæterorumque ad id spectantium qualitate, proprietate, ac temperamento perspectis, opera edit vulgo mirabilia, & humanum captum, atque admirationem superantia.*

577 *Illam Græci Theurgiam vocant; hanc verò Magiam; cuius professores apud latinos sapientes, Græcis Philosophi, Aegyptijs Sacer*

dotes,

dotes, Babylonijs, & Assirijs Chaldæi Persis Magi, Indis Gymnoso phistæ, Celtis Druidæ nominantur.

578 *Hæc in rerum cognitione fundatur, illa dæmonum conuersatione addiscitur: hæc philosophiæ naturalis consummatio, & fastigiũ, & intellectus summa perfectio, illa tam obscura mentem caligine officit: quousque illam in æternas tenebras præcipitem agat.*

579 *Quod dicitur Danielis secundo Præcepit Rex vt conuocarentur Harioli, & Magi, & malefici, & Chaldæi, ita exponendum est; vt Magi sint qui philosophiæ beneficio mirabilia faciunt; Harioli incãtatores, qui verbis rem peragunt: Malefici qui sanguine vtuntur, & victimis, mortuorumq; cadaueribus: Chaldæi, qui vulgo Astrologi, & Genethliaci & Mathematici dicuntur.*

580 *Omnino autem reijcienda est Platonicorum sententia appellantium lares defunctorum animas si domi sint tranquillæ & quietæ; sin omnia commisceant terroribus, & turbis, lemures, aut laruas.*

581 *Falso Porphyrius dixit Angelos alios esse qui deorsum descendẽtes hominibus Theurgicis diuina pronunciant; alios verò qui in terris ea, quæ patris sunt, & altitudinem eius profunditatemque declarent.*

582 *Diuinatio est prædictio, non eorum, quæ ex natura & necessariò agente producuntur, neque eorum, quæ plerunque eueniunt, vt pluuiæ, venti, & similia; sed eorum quorum causæ se habent ad vtrumlibet.*

583 *Dicitur autem diuinatio quasi diuina actio, & eius professores diuini, quia res futuras non in suis causis; sed in seipsis, quod Dei proprium est, se intueri profitentur.*

584 *Diuinatio semper est peccatum, & in genere superstitionis: & eius plurimæ sunt species: quarum prima est Præstigium, cum dæmones expresse inuocati aliqua prænunciant præstigiosis quibusdam apparitionibus se aspectui offerentes.*

585 *Diuinatio per somnia est cum nobis in somno futura prænuncientur per dæmones, nam si per Deum, dicitur Oraculum.*

586 *Nicromantia est diuinatiõ per mortuorum apparitionem vel locutionem, qua mortui resurgere videntur futura prænunciantes.*

587 *Diuinatiò per Pythones dicitur ea, qua Arreptitij homines futura prædicunt; non enim ipsi; sed dæmon in ipsis loquitur.*

588 *Geomantia est diuinatio facta per quid terrestre, vt ligna, lapides, metalla, Hydromantia per aquam, Aeromantia per aerem. Pyromātia per ignem, cum in aliquo istorum corporum figuræ, vel characteres apparent; in quibus aliquid futurum cernimus.*

589 *Diuinatio quæ fit absque expressa dæmonum inuocatione in duo genera diuiditur, primum est ex consideratione naturæ rerum; alterum per sortes.*

590 *Primi generis prima species est Astrologia ex consideratione numeri, magnitudinis, motus omnium orbium cœlestium, stellarum que errātium, ac inerrantium, ac Asterismorum ortibus, occasibus, figuris, imaginibus, situ, progressu, statu, regressu, coniunctione, oppositione, eclypsi, complexionibus naturis, futuros liberos euentus determinatè in inferioribus prænuncians.*

591 *Secunda species scilicet Augurium est diuinatio per voces motus, & volatus auium, aut aliorum animaliū: Tertia Omen est præsagium futuri ex verbis hominū sine consideratione prolatis: Quarta Chyromantia ex lineamentis manuum, cui adde Spatulimantiā; & si quæ sunt aliæ.*

592 *Alterum diuinationis genus scilicet Sortium est vel per considerationem figurarum, quæ fiunt ex liquido plumbo in aquam proiecto, vel ex schedulis scriptis, vel non scriptis, vel ex fistulis inæqualibus, vel ex tactu taxillorum vel ex apertione libri, quæ omnia vana sunt, & superstitiosa.*

593 *Homines nulla arte naturali possunt cogere dæmones ad oracula sibi reddenda, vel ad aliquem locum immobiliter alligare.*

594 *Quod si aliquando apud homines fuit ars cogendi dæmones siue verbis, siue characteribus, siue herbis, siue quauis alia re illa nō fuit naturalis earum rerum virtus.*

595 *Vis horum characterum siue aliarum rerū est vel ex diuina permissione, aut ab Angelis bonis, aut à dæmonibus superioribus: vel certe dæmones se captos, ac vinctos simulant, vt nos realiter capiāt, & æternis, ac indissolubilibus inferni vinculis vinciant.*

596 *Ars includendi dæmones in figuris geometricis, imaginibus vel phialis, vel alijs rebus materialibus; quam testatur extitisse Trismegystus non est censenda ars: sed constitutio, seu pactum expresse, uel tacitè inter perditos homines, & dæmones.*

Nec

597 Nec musicus contentus, nec herbarum, aut lapidum virtus aut cuiusuis sensibilis substantiæ, potest quicquam agere in dæmonem, impellendo, vel expellendo.

598 Quod si id aliquando faciunt, non faciunt agendo in dæmonem, sed in corpus obsessi.

599 Quod si beneficio musicæ à corpore recesserint, censendum est id fieri vel sanctitate, vel malitia pulsantis.

600 Phascinationis puerorum non est causa solum vehemens imaginatio vetulæ: sed quia ex imaginatione illa immutatur corpus, & vapores venenosi ad oculos euolant, & per illos transmittuntur ad pueros; quod tamen etiam ministerio dæmonum fieri probabile est.

601 Conseruatio cadauerum incorruptorum aut fit propter sanctitatem mortuorum diuino miraculo, aut ex naturali dispositione corporis, & loci.

602 Augmentum vnguium barbæ, & capillorum in cadaueribus nõ à dæmonibus; sed naturaliter fieri censeo ex dispositione corporis: feruor autem sanguinis occisi præsente occisore (si verum est) non à dæmone; sed diuino miraculo proficiscitur.

603 Apparitiones, & ignes, qui in cæmeterijs, & suppliciorum locis noctu visc untur, meteorologicas potius impressiones, quàm dæmonum ludificationes puto.

604 Petere aliquid à dæmone sponte offerente ad vtilitatem vel propriam, vel aliorum, & dæmonem inuocare ad occultorum cognitionem acquirendam nunquàm licet.

605 Vti rebus naturalibus ad valetudinem recuperandam; si id ex naturali earum virtute factum iri speretur non est peccatum; si autem speretur ex vi alicuius characteris, aut figuræ, aut verborum superstitiosum est.

606 Scientias addiscere per singulare dæmonis artificium, & influentiam, aut per artem notoriam, qua per inspectionem quarundã figurarũ plures sciẽtiæ comparari dicuntur superstitiosũ est.

607 Etiam si prædictiones dæmonũ aliquando verificentur: neq; tamen ipsis fidem habere debemus; & faciendo peccamus mortaliter.

608 Opera maleficarum non proueniunt à corporum cælestium influxibus, neque vt talia sunt: neque per virtutem Angeli mouentis orbem; sed virtute dæmonis.

Neque

619 *Neque verò hæc fiunt, ex malitia malefici tamquam causa, neque vocibus hominũ cõcurrẽte aliqua cœlesti cõstellatione, aut in cõceptione, aut in natiuitate malefici; hæc enim asserere temerariũ est.*

610 *Ligaturæ, & imagines nisi sanctæ sint nõ modo nõ possũt expellere dæmones, sed nec dolores quidem lenire, ideoque tamquam superstitiosæ res reijciendæ sunt.*

611 *Negandũ non est esse maleficia in mũdo, aut fieri inter coniuges siue ante siue post consummationem matrimonij.*

612 *Malefici autem ea facientes sunt homicidij rei tum in foro fori, tum in foro poli.*

613 *Hæreticum est asserere aliquod maleficium diuinam prouidentiam & permissionem effugere, non solum in ijs quæ circa hominem fiunt, sed etiam in his quæ circa bruta, & inanimata.*

614 *Omne maleficium potest dissolui per Deum, & per diabolum, datur tamen aliquod maleficium, quod humano maleficio & consilio dissolui non potest.*

615 *Dæmones quinque modis futura præsagiunt ex diuina permissione ministerio Angelorum: secundo per intelligẽtiam sacrarum scripturarum quas optime inter se conferunt: tertio cognoscendo futura in suis causis naturalibus, quæ tamen nobis videntur contingentia: quarto cognoscendo naturales hominis inclinationes: quinto & postremo dicendo ea quæ præsentia sunt, cum futura appareant ob tarditatem hominum.*

616 *Ante primum peccatum non potuisset diabolus tentare hominẽ interiori suggestione per quam immutaretur phãtasia; sed tantum exteriori alliciendo sensus exteriores.*

DE BEATITVDINE.

617 *Omnes humanæ actiones sunt propter aliquem finem, siue vltimum, siue medium: humanas autem actiones voco eas, quibus à ceteris animãtibus homo distinguitur.*

618 *Non solum homo; sed omne agens agit propter finẽ; hoc autem differunt, quòd creatura irrationalis in finem fertur, & agitur: non autem ipsum eligit, sicut homo: Deus autem operatur*

pro-

propter finem, volendo, & operando vnum propter aliud.

619 *Actus humani, vt egrediuntur ab agente, vnicum tantum habent obiectum, à quo speciem sortiuntur: potest tamen idem actus habere diuersas species iuxta finium diuersitatem: & idem actus moraliter est diuersus naturaliter, & idem actus naturaliter potest esse diuersus moraliter.*

620 *Impossibile est in finibus essentialiter subordinatis dari progressum in infinitum: quo fit, vt necesse sit dari vltimum finem omniũ humanarum actionum, tum verum scilicet Deum, tum apparentem scilicet creaturas.*

621 *Eodem modo impossibile est procedere in infinitum in assecutione mediorum subordinatorum: in finibus autem, & medijs non subordinatis: sed quæ per accidens coniunguntur, nihil prohibet in infinitum dari progressum.*

622 *Vnius hominis non possunt esse plures vltimi fines, sed vnus tãtum, propter quem vult quicquid vult: etiamsi non cogitet de illo: loquor autem de vltimo fine formaliter non materialiter: qui quidem in generali sumptus apud omnes homines est vnus, & idem.*

623 *Hominis beatitudo, & vltimus finis non consistit nec in diuitijs, nec in honoribus, nec in gloria, vel fama humana, nec in potentia, nec in aliquo corporali bono, nec voluptate siue corporis, siue animi, nec in aliquo bono animæ; nec in aliquo bono creato.*

624 *Dicere beatitudinem nostram esse illapsum Dei in animas beatorum, eas in se transformando præuia intellectus operatione, scilicet cognitione & visione Dei, est falsum.*

625 *Beatitudinem impossibile est in habitu tantum consistere, idest in eo, quòd possimus videre Deum quando volumus: beatitudo autẽ, & dilectio Dei in beatis non est actus liber, sed necessarius.*

626 *Dici non debet intellectum beatorum in visione beatifica se habere merè passiuè nullam producendo visionem.*

627 *Deus se solo põt producere species intelligibiles, immo etiã verbũ non autem intellectionem intellectu merè passiuè se habente: & idẽ dicendum est de volitionem, etiam de potentia Dei absoluta.*

628 *Sicut Catholica est hæc propositio: Homo se iustificat dispositiuè; ita hæc: Homo se glorificat: & se beatificat: Neque verò dicendum est intellectum meliorem cum æquali lumine gloriæ perfectio-*

rem

rem Dei visionem producere.

629 Quo fit, vt Sanctissima Deipara cum omnes alios superet lumine gloriæ excellat etiam visionis claritate, & Angeli hominibus in meritis æquales æquali claritate Deum videant.

630 Nullo sensu nec interiori, nec exteriori Deus à nobis cognosci potest, quamuis præsupposita intellectus cognitione imaginatiua in homine possit concipere timorem, & amorem erga Deum.

631 Requiruntur tamen ad beatitudinem operationes omnium sensuum, & antecedenter & consequenter; itaque omnes sensus tam interiores, quam exteriores suis muneribus functuros probabiliter credimus, & omnes recepturos species sensibiles ab obiecto sicut in hac vita mortali.

632 Et tunc ad visionem, & auditionem producendam multiplicabũtur species intentionales, & sonoræ tam in cœlo pleno, quam in vacuo: Ad olfaciendum verò non erit necessaria exhalatio, seu vapor, nec gustus replebitur cibo ad nutriendum; sed inerit humor aliquis perpetuus, & iucundissimus organo gustus, quo beati perfruentur.

633 Tangendo verò non recipient species tactiles cum passione distẽperante corpus vt fit in hoc sæculo; sed sine vlla naturali passione quemadmodum in hac vita recipimus species visibiles.

634 Beatitudo non consistit in actibus visionis amoris, gustus delectionisque simul: nec in sola dilectione, aut solo gaudio: sed in sola essentiæ diuinæ visione.

635 Quamuis enim in hac passibili vita maioris perfectionis sit Deũ diligere, quàm cognoscere, tamen in æterna vita visio Dei præstabit eius dilectioni, & fruitioni.

636 Visio sola sine fruitione, & gaudio est beatitudo perfecta essentialiter.

637 Visio beatifica non est practica, nec speculatiua formaliter, est tamen vtrumque eminenter, & magis speculatiua, quam practica.

638 Visio beatifica est vna, & simplicissima, & incomplexa apprehensiua simul, & iudicatiua occupata præcipuè in iudicando, quam bonus Israel Deus his, qui recto sunt corde.

639 Beatitudo hominis, quæ summa in hac vita haberi potest posita est in consideratione scientiarum speculatiuarum: supernaturalem verò beatitudinem non in ijs sitam esse de fide est.

Bea-

639 *Beatitudo perfecta huius vitæ consistit in speculatione non solum substantiarum abstractarum; sed (quod caput est) Dei Optimi Maximi dilectione, non solum secundum veritatem; sed etiam secundum Aristotelem.*

640 *Nos non inclinamur ad desiderandum Dei visionem pondere naturæ: illustrati verò lumine fidei, & habentes notitiam rerum supernaturalium; non desideramus naturali facultate videre Deum.*

641 *Potest Paganus habens notitiam rerum supernaturalium habere imperfectum desiderium videndi Deum; efficax autem nemo habet nisi diuinitus adiuuatur.*

642 *Videre Deum est finis omnino supernaturalis, quia nulla ratione naturæ debetur: anima enim nostra solum obedientialem potentiam habet, vt possit ad Dei visionem eleuari.*

643 *Visio beatifica non ideo supernaturalis est, quia non possit absq; supernaturali Dei concursu obtineri; sed quia superat omnem naturæ ordinem, & proportionem.*

644 *Beatitudo secundum omnem perfectionem, atque integritatem sine delectatione haberi non potest: est autem delectatio quies in bono iam adepto; ita vt quies sit ratio formalis delectationis.*

645 *Beati ab intrinseco, & ex natura beatitudinis necessariò amant Deum, & delectantur: idque non habent solum ex lege diuina, quæ statuit non concurrere cum beatis ad priuationem beatitudinis.*

646 *Neque tamen inde fit vt beati coacti, & inuiti delectentur & gaudeant: amans enim non potest nolle delectationem ex amati visione prouenientem.*

647 *Comprehensio est consecutio vltimi finis, estque actus intellectus non voluntatis, & sine ea repugnat esse beatitudinem.*

648 *Eum qui beatus est, siue Angelum siue hominem; durante beatitudine peccare impossibile est.*

649 *Etiam si Angeli, & cæteri beati in prosecutione mediorum, & in multis alijs actibus, liberè se gerant; impossibile tamen est ipsos peccare venialiter.*

650 *Ad beatitudinem imperfectã, quæ in hac vita haberi potest, ne*

 cessa-

cessarium est corpus: ad beatitudinem autem perfectam, & supernaturalem corpus est necessarium, non simpliciter; sed ad bene esse.

651 *Defunctos in gratia post Ascensionem Domini Nostri Iesu Christi in cœlos sine corporibus euolasse, aut euolaturos esse credere fides cogit.*

652 *Post corporum reassumptionem in die supremi iudicij crescet beatitudo non intensiuè; sed extensiuè: cum tamen fruitio, & delectatio eadem prorsus sit, tum intensiuè, tum extensiuè.*

653 *Ad beatitudinē imperfectam quæ in hac vita haberi potest, necessaria est bona corporis dispositio: ad beatitudinem verò supernaturalem, necessaria est huiusmodi dispositio tum antecedenter, tum consequenter.*

654 *Ad beatitudinem terrenam necessaria sunt bona externa non per se; sed tamquam instrumenta vitæ tum actiuæ tum contemplatiuæ. ad beatitudinem verò æternam hæc bona nullo modo necessaria sunt.*

655 *Ad beatitudinem terrenam prorsus necessarij sunt amici: ad beatitudinem verò cœlestem necessarij sunt concomitanter, & consequenter.*

656 *Neque verò beatorum quisquam dolebit de perditione parentum aut aliorum quos in hac vita dilexit; tum ob conformitatem voluntatis cum Deo; tum ob summam lætitiam.*

657 *Hominem esse capacem eius beatitudinis quæ in Dei visione cō sistit sola reuelatione cognouimus; esse autem hominem à Deo ad beatitudinem aliquam conditum docet philosophia.*

658 *Inter beatos vnum esse altero beatiorem de fide est.*

659 *Perfectio igitur beatitudinis proficiscitur, tum ex eo quod quis plura videt in Deo contenta eminenter, tum quod Deum intensius, intimius, clarius intuetur, & penetrat.*

660 *Beatitudinem imperfectam, & naturalem possumus habere in hac vita; beatitudinem verò perfectam, quæ in Dei visione sita est non possumus habere in hac vita existente ordine rerum, qui nunc est.*

661 *Beatitudo naturalis potest amitti, beatitudo supernaturalis est inamissibilis, & hoc scimus ex metaphysica, & ex manifesta scripturarum reuelatione habemus.*

Bea-

662 Beatitudo naturalis tam actiua, quàm contemplatiua respectu scientiarum humanarum potest naturaliter acquiri: beatitudo verò naturalis contemplatiua quæ in diuinorum mysteriorum contemplatione, & amore consistit, non potest naturaliter haberi.

663 Nulla creatura potest alteri communicare lumen gloriæ: atque ita illam beare sine speciali Dei concursu: ex quo etiã fit vt non possit produci aliqua creatura, cui lumen gloriæ sit connaturale.

664 Ad beatitudinem supernaturalem consequendam requiruntur bona opera antecedenter de lege ordinaria, nam de lege absoluta potest Deus hominem sine meritis beare.

665 Pueri baptizati morientes adipiscuntur per bona opera Christi Domini illis in baptismo communicata beatitudinem supernaturalem. solus Christus Dominus beatus fuit sine operatione meritoria suæ beatitudinis ratione vnionis hypostaticæ.

666 Quod homines beatitudinem per propria meritoria opera consequantur cedit in maiorem Christi Domini gloriam, & humani generis exaltationem, & in hoc maxime elucescit diuina benignitas, & misericordia.

667 Omnes homines appetitu naturali appetunt beatitudinem in communi necessariò quantum ad specificationem non quantum ad exercitium.

668 Beatitudinem autem in particulari, quæcunque illa sit siue in diuinæ essentiæ visione, siue in operatione studiosa collocetur non necessariò appetit nostra voluntas.

DE ACTIBVS HVMANIS.



669 DE omnibus finibus potest esse consultatio tam quoad exercitium, quàm quoad specificationem in quantum media sunt: de fine autem vltimo quoad exercitium nõ quoad specificationem potest esse consultatio.

670 Voluntas nostra est libera formaliter, non autem intellectus: sed est libertas in eo tamquam in radice: illud tamen negandum non est scilicet quod libertatem nostræ voluntatis ex parte intellectus anteuertat cognitio, qua cognoscatur ratio finis.

671 *Praecedit etiam cognitio ex parte intellectus, qua cognoscatur proportio mediorum in ordine ad finem, & indeterminatio, & indifferentia iudicij ex parte intellectus.*

672 *Intellectus autem in suo discursu, & iudicijs ferendis determinatur ab auctore naturae, aut per syllogisticum discursum, aut per sensum, & consuetudinem, aut per ipsam voluntatem; voluntas demum per vnum actum intellectus, qui inest nobis per naturam.*

673 *Voluntarium directè non potest esse absque actu voluntatis, vel interiori, vel exteriori: voluntarium verò indirectè potest esse sine actu voluntatis quandoque exteriori: omissio verò culpabilis, & voluntaria requirit, vt non agat quis id, quod potest, & debet.*

674 *Voluntas potest necessitari à Deo in suis operationibus elicitis, vt velit, nolit, amet, odio habeat: potest etiam Deus impedire voluntatem ne exeat in actum secundum elicitum; ad quem suapte natura inclinatur, vel subtrahendo suum concursum generalem, vel obiectum.*

675 *Potest ipsa uoluntas quoad actus imperatos cogi non tãtũ à Deo; sed etiam à creaturis tam incorporeis quàm corporeis, efficiẽdo actũ imperatum contra actum elicitum.*

676 *Deus neque de potentia ordinaria neque absoluta potest inducere hominem ad peccandum: idque non solum lumine fidei; sed etiam metaphysicae beneficio cognouimus.*

677 *Ea, quae sunt intrinsecè mala, etiam si metu fiant siue leui, siue graui, simpliciter sunt voluntaria; & imputantur facienti tamquam peccata: quae verò sunt contra legem positiuam, licet voluntaria sint; non imputantur ad culpam, si metu rationabili fiant.*

678 *Affectus animi nostri sequens deliberationem rationis, & voluntatis assensum auget voluntarium: idemque facit concupiscentia, quae anteuertit iudicium rationis & voluntatis consensum.*

976 *Haec tamen concupiscentia diminuit libertatem: quò fit vt aliqua ratione minuat culpam.*

680 *Habitus, & affectus, qui sunt in voluntate augent voluntarium.*

uium, neque minuunt liberum: ideoque habitus mali non excusant à peccato.

681 *Ignorantia concomitans efficit non voluntarium: & actus ex illa procedens non est culpabilis.*

682 *Ignorantia verò consequens causat voluntarium simpliciter; sed efficit inuoluntarium secundum quid: quare illius actus est culpabilis.*

683 *Ignorantia antecedens causat inuoluntarium simpliciter; quò fit vt illius actus non modo non sit culpabilis; sed aliquando etiam meritorius.*

684 *Datur actus uoluntatis neuter, qui scilicet non sit propter finem, vel propter media ad finem intentus actualiter, formaliter, & in actu signato: non datur autem qui non sit in actu exercito siue virtualiter.*

685 *Bonum est totale voluntatis obiectum, ita vt voluntas nihil possit velle, nec malum quidem nisi sub ratione boni: quapropter odium etiam, vt est actus voluntatis; fertur in bonum formaliter, & in malum materialiter.*

686 *Et actus quidem voluntatis vt respicit bonum in communi, semper fertur in bonum verum: vt autem respicit hoc aut illud bonum; sæpe frustratur tendendo in bonum apparens.*

687 *Volitio medij non est semper formaliter, volitio finis, ad quem ordinatur illud medium; semper tamen virtualiter includit volitionem finis.*

688 *Aliquando contingit vt vno & eodem actu formaliter velimus finem, & media: aliquando verò volitio finis præcedit actum volitionis mediorum; nunquam autem volitio mediorum vt media sunt, præcedit volitionem finis.*

689 *Voluntas non mouet intellectum in omnibus suis operibus; sed tantum in operibus liberis quoad exercitium, quando ea procedũt ab huiusmodi volitione.*

690 *Inter potentias sensitiuas eæ mouẽtur à voluntate; quæ ipsi subdũtur; potentiarũ autem vegetatiuarum nulla à voluntate mouetur.*

691 *Mouet autem voluntas intellectum, cæterasque potentias, quæ eius subduntur imperio, applicando eas ad operandum: nec habet aliam efficaciam.*

Quoad

692 *Quoad specificationem, & determinationem obiecti intellectus mouet voluntatem tamquam dux, & rector, eam illuminando de bonitate, vel malitia obiecti.*

693 *Ad mouendam voluntatem, intellectus non tantum debet apprehendere obiectum, sed etiam iudicare de bonitate, & conuenientia illius.*

694 *Ad mouendam voluntatem efficaciter non satis est iudicium speculatiuum intellectus de conuenientia, & bonitate obiecti, neque iudicium practicum explicatum his verbis, beatitudo est summe appetenda, sed explicatur his verbis hoc fac, ama, dilige.*

695 *Voluntas seipsam mouet quantum ad exercitium ad electionem mediorum, quæ sunt ad finem: & mouetur ab ipso obiecto tamquam ab exteriori principio.*

696 *Voluntas quoad primum motum quo vult finem necesse est vt moueatur ab aliquo agente extrinseco.*

697 *Voluntas non mouetur directè à cœlestibus corporibus: mouetur tamen ab illis indirectè ratione obiecti quatenus illud immutāt.*

698 *Causa efficax bonæ, vel malæ fortunæ soli Deo, & nostræ prudentiæ, vel imprudentiæ debet attribui.*

699 *Ipsa verò fortuna non distinguitur à natura, aut ab intellectu, aut à nostræ voluntatis proposito, neque est causa totalis vllius nostræ actionis, aut rei.*

700 *Corpora cœlestia non inclinant homines ad fraudes, adulteria, homicidia, & id genus alia, inclinant enim tantū ad passiones quasdam quibus nos abusi huiusmodi peccata committimus.*

701 *Voluntas naturaliter fertur in bonum in communi, & in finem vltimum, atque adeo in omnia bona quæ conueniunt volenti secundum suam naturam: habet autem circa hæc libertatem contrarietatis non contradictionis.*

702 *Pueri amentes, & somniantes habent aliquos actus intellectus; & voluntatis quatenus voluntas est natura, non vt habet liberum arbitrium, & hos motus habent passiuè quatenus ijs aguntur non autem actiuè.*

703 *Quando passio aliqua ita dominatur, vt tollat, & perturbet omne iudicium rationis, voluntas necessariò mouetur. Quando verò natura absorbetur à passione, etiam si aliqua ex parte obtenebretur,*

potest

potest resistere.

704 *Pueri, & amentes non habent actus deliberatos, nec liberos, & positis omnibus requisitis non possunt non operari, amentes autem, & furiosi in suis operationibus sunt magis bruta quàm homines.*

705 *Moraliter loquendo voluntas semper operatur successiuè, ita tamen vt non sit assignare aliquod tempus, quo minori in tempore operari non possit.*

706 *Non est necesse omnem actum voluntatis nostræ aliquo termino posse continuari; vnde potest homo iustificari in instanti, quia in eo potest mereri conuersione voluntatis in Deum.*

707 *Fruitio non est actus intellectus, sed voluntatis: neque verò est amor rei præsentis; sed delectatio quæ semper ex eo proficiscitur.*

708 *Quies in suo bono & fine competit omnibus creaturis: delectatio verò solis sensibilibus, & brutis; gaudium verò, lætitia, & fruitio soli creaturæ rationali.*

709 *Fruitio nullo modo est eius, quod nullam possidenti delectationem affert: rerum autem creatarum est fruitio aliquo modo, Dei solius est fruitio propriæ, & simpliciter, quæ pro obiecto non habet visionem Dei; sed ipsum Deum.*

710 *Fruitio perfecta non potest esse nisi finis habiti in re; fruitio verò imperfecta potest esse etiam finis habiti tantum in spe.*

711 *In hac vita non est vna fruitio trium personarum diuinarum; possumus enim frui vna persona sine alia, & essentia sine personis, & personis sine essentia.*

712 *At verò in vita beata fieri non potest vt fruamur vna persona sine alia, vel essentia sine personis, vel personis sine essentia quia nō poterimus videre vnum horum sine altero.*

713 *Secundum legem ordinariam, & præscriptum Dei ordinem existimo fieri non posse vt cuiquā concedat fruitionem vnius personæ sine alia, vel personarum sine essentia, vel essentiæ sine personis; cū repugnet iudicare de pulchritudine vnius sine altero.*

714 *Intentio est actus voluntatis, in quo maxime apparet ordo rationis: est autem intentio non solum vltimi finis; sed etiam aliorum.*

715 *Potest aliquis plura simul intendere siue sint subordinata, siue non. Quando voluntas fertur in media, & finem diuerso actu fertur in media, & finem; quando verò vult media propter finem eo-*

dem

dem actu vult media & finem; vel primo finem, deinde media.

716 *Intentio, & electio moraliter distinguuntur secundum speciem: quia intentio primo fertur in finem, secundario in media; electio verò primo fertur in media, secundario in finem.*

717 *Intentio non conuenit brutis animãtibus nisi metaphoricè, vt dicit motum in finem; quare magis propriè habent fruitionem quàm intentionem.*

718 *Electio partim spectat ad voluntatem, partim ad intellectum, quia quoad suum formale est in intellectu, quoad materiale in voluntate, cum sit substantialiter actus voluntatis.*

719 *Bruta non habent electionem; nec proinde voluntatem, quod si equo verbi gratia proponantur duo pabula omnibus stantibus paribus; non est dicendum neutrum sumpturum: sed ad vnum determinabitur non ab exteriori mouente; sed à seipso.*

720 *Electio est tantum possibilium: potest tamen quis eligere & appetere quod est impossibile cum existimet esse possibile.*

721 *Est voluntas de impossibili ex suppositione, non autem de impossibili omnino: de impossibili autem omnino quod includit contradictionem potest esse tantum voluntas conditionata.*

722 *Voluntas efficax, & perfecta cuiusmodi est electio, non potest esse de re impossibili: voluntas autem efficax & conditionata de re impossibili potest esse meritoria, & demeritoria; laudabilis, & vituperabilis.*

723 *Quamquam medium aliquod sit simpliciter necessarium ad finem: tamen nisi cognoscatur tale medium esse hoc modo necessarium; potest aliquis efficaciter velle finem, absque eo quod eligat medium.*

724 *Cum aliquis vult efficaciter finem, & cognoscit ad illum consequendum necessarium esse tale medium; tunc voluntas necessitatur, vt tale medium eligat.*

725 *Posita æquali bonitate duorum obiectorum, potest voluntas illud eligere, hoc refutare, si inæquale sit imperium intellectus ipsam determinans: sin autem imperium intellectus sit æquale; neutrum eorum eliget.*

726 *Voluntas potest eligere id, quod peius reputatur iudicio speculatiuo, si id melius iudicetur iudicio practico; non è conuerso: sin verò*

aliquid

peius indicetur vtroque iudicio, voluntas non potest illud eligere.

727 *Consilium non reperitur in brutis; sed tantum in hominibus, & Angelis, in illis tamen tantum circa supernaturalia, & futura sicut etiam deliberatio, & conquisitio de rebus agendis.*

728 *Consilium, & deliberatio est de fine non vt finis; sed vt concipitur sub ratione medij, de medijs item non vt finis sunt; sed in quantum talia.*

729 *Consultatio est tantum de ijs, quæ per nos aguntur, aut agi possunt siue per alios nobis coniunctos aut nostras vices gerentes.*

730 *Consultatio non est de impossibilibus, neque de necessarijs, cuiusmodi sunt præterita; sed solum de contingentibus quatenus cadunt sub specie boni vtilis.*

731. *Est autem consultatio de bono delectabili, deque honesto, vt de virtutibus, aut quoad eorum circunstantias, & tempus, & bonum, aut de ijs consideratis, vt sunt vtiles.*

732 *Consultatio consilium, & deliberatio non est de ijs quæ determinata sunt quo modo fiant, siue per artem, siue per naturam, neque de rebus parui momenti, quæ nullam boni vtilis rationem habent, aut habere existimantur.*

733. *Inquisitio consilij in actu infinita non datur: non prohibet tamen in potentia consilium posse abire in infinitum, possunt enim occurrere infinita consultabilia.*

734 *Consulere alteri peccatum est malum, & iniquum, & peccatum distinctæ speciei à peccato de quo consulit: est autem in specie scandali, quare necesse est in confessione ipsum explicare distinctè à materia ipsius.*

735 *Illi qui iam decreuit facere malum maius, licet conditionaliter persuadere minus malum: persuadetur enim non malum; sed illud minus quod habet rationem boni.*

736 *Consensus est actus potentiæ appetitiuæ, & non reperitur in brutis, sed in hominibus tantum: & in his spectat ad rationem superiorem, ita vt illi imputetur peccatum mortale sicut & meritum.*

737 *Consensus in delectationem operis pertinet ad rationem superiorem; sicut etiam consensus in ipsum opus: consensus*

verò in delectationem cogitationis pertinet ad rationem inferiorē, sicut ad illam pertinet cogitare.

738 *Deliberare an cogitandum sit de peccato, nec nè spectat ad rationem superiorem, quatenus cogitare est actio quædam: quatenus verò ordinatur ad aliam actionem, pertinet ad rationem inferiorē.*

739 *Vti est actus voluntatis primo, & principaliter tamquam primi mouentis, intellectus verò tamquam dirigentis, & cæterarum potentiarum tamquam exequentium.*

740 *Vti non conuenit propriè brutis, sed soli creaturæ rationali, quæ sola vtitur medijs, aut finibus inquantum habent aut habere existimantur rationem mediorum, & finium.*

741 *Omnis peccans mortaliter vtitur fruendis, & fruitur vtendis; vtitur enim Deo, fruitur creatura; beati verò etiamsi Deo vtantur, & ipsum diligant amore concupiscentiæ nullatenus tamen peccāt.*

742 *Vsus nonnunquam antecedit, aliquando verò subsequitur electionem, & licet posita electione efficaci necessariò sequatur vsus; distinguitur tamen realiter ab ipsa electione.*

743 *Imperium est actus intellectus præsupposito tamen actu voluntatis quæ est primum mouens quoad specificationem.*

744 *Imperium non conuenit brutis: in hominibus autem imperium præcedit electio: nonnunquam tamen imperium præcedit electionē.*

745 *Imperium, & actus imperatus sunt unus actus humanus; moraliter loquendo; sunt autem plures actus entitatiuè, & naturaliter: cum præsertim imperium tempore præcedit actum imperatum.*

746 *Potest actus voluntatis esse imperatus à ratione, & actus rationis ab ipsamet ratione imperari quantum ad exercitium: quantum verò ad specificationem datur aliquis actus tum voluntatis, tum rationis, qui non potest esse imperatus.*

747 *Actus appetitus sensitiui partim subduntur imperio rationis, partim non: subduntur quidem, quia ratio potest subtrahere consensum; non subduntur autem, quia non possumus non concupiscere.*

748 *Imaginatio verò subditur rationi respectu eorum quæ ratione considerantur, & quod est ex parte animæ, non autem quod est ex parte corporis; ablatis verò corporeis impedimentis, prorsus rationis imperio subiacet.*

749 *Actus animæ vegetatiuæ non subduntur rationis imperio, quia*

sunt

sunt actus maximè materiales; quo autem aliquis actus est immaterialior, eo magis subiacet rationi.

750 *Actus exteriorum membrorum mouentur à potentijs sensitiuis & subduntur ipsis, ac proinde rationis imperio; motus verò membrorum sequentes animam vegetabilem, non subijciuntur rationi.*

751 *Omnis actio humana quoad entitatem bona est; moraliter verò aut bona est, aut mala, ita vt vtrunque simul esse non possit.*

752 *Hæresis manifesta est asserere omnes actus peccatorum esse malos, & omnes actus iustorum esse peccata mortalia.*

753 *Multo præstantior est iustitia, & sanctitas quam habebimus in gloria, quàm ea quàm hic habemus in gratia; quia illa nè veniale quidem peccatum compatitur.*

754 *Humanæ operationes non habent bonitatem, vel malitiam disiunctiuè ex hoc quod proficiscantur à libera hominis voluntate; sed ex hoc tantum habent vt sint bonæ, vel malæ in confuso.*

755 *Operationes humanæ habent bonitatem, vel malitiam ex obiecto; & quoniam idem obiectum est actus interioris & exterioris voluntatis; ideo habent eandem bonitatem, vel malitiam, & sunt vnum peccatum, vel vna virtus.*

756 *Obiectum autem ipsum non habet bonitatem, vel malitiam quatenus est res quædam naturalis, sed quatenus habet conuenientiam, aut dissonantiam à recta rationis regula.*

757 *Bonitas, aut malitia, quam actiones nostræ habent ex obiecto nũ est generica; sed specifica: est autem in ipso obiecto non formaliter, sed causaliter.*

758 *Quando duo actus humani habent conformitatem, aut difformitatem cum recta ratione ex eadem causa, licet maxime distent in genere naturæ: tamen habent eandem bonitatem, vel malitiam specificam in genere moris.*

759 *Actiones humanæ habent vt sint bonæ vel malæ non tantum ex obiecto; sed etiam ex circunstantijs, ita vt actio quæ mala est ex obiecto, habeat malitiam specie distinctam à circunstantia, & tunc circunstantia non transit in obiectum; sed adhuc remanet circunstantia.*

760 *Quando duo actus humani sunt differentes aut conformes rectæ rationi, aut vnus est conformis, alter difformis ex diuersa causa,*

etiam si quod ad naturam spectat sint per quam simillimi; tamen illi differunt specie, hi verò genere.

761 *Actiones humanæ tam exteriores quam interiores habent bonitatem, vel malitiam ex fine, ita vt ad bonitatem operis requiratur etiam bonitas finis, & sine illa esse non possit; ad malitiam autem nõ requiritur malitia finis.*

762 *Malitia moralis opponitur bono morali non sicut malum naturale bono naturali; sed contrariè tamquam quid positiuum constitutum per differentiam intrinsecam ex qua per se cognoscibile est.*

763 *Malum morale est entitas positiua deficiens: quod spectat ad entitatem est creatum à Deo: quod verò spectat ad defectum, referendum est ad causam deficientem, scilicet nostram voluntatem.*

764 *Tunc circunstantiæ addunt nouam speciem peccati, aut actum bonum, & rectum efficiunt culpabilem mortaliter, quando addunt ipsi actioni nouam quandam speciem deformitatis.*

765 *Quando quis furatur propter mœchiam, est magis mœchus quàm fur: cum tamen ipse actus substantialiter sit furtum non adulterium.*

766 *Quando quis operatur actum virtutis in ordine ad aliam virtutem naturaliter imperantem huic; tunc ille actus formaliter est virtutis imperantis, materialiter verò virtutis subiectæ; si verò vna virtus non subditur alteri, actus est in duabus speciebus disparatis.*

767 *Actus humani alij sunt boni, alij mali, alij indifferentes, alij in malum sonantes, qui non sunt per se expetendi; vt habere plura beneficia.*

768 *Actus qui anteuertit iudicium, & deliberationem rationis potest esse indifferens in indiuiduo, cum propriè non sit actus humanus.*

769 *Actus verò humani procedentes à ratione deliberata in indiuiduis considerati, aut boni sunt, aut mali; etiam si sint indifferentes secundum speciem.*

770 *Vt opus aliquid sit bonum, & studiosum non est necesse vt referatur in vltimum finem: & ideo homo constitutus in puris naturalibus*

libus infidelis & peccator, posset operari bonum opus moraliter.

771 *Vt operatio sit bona non satis est vt referatur in bonũ delectabile, aut vtile, nec est necessè vt referatur formaliter in bonum honestum, & laudabile; sed satis est quod fuerit de bono obiecto rectæ rationi conuenienti.*

772 *Omne opus malum demeritorium est & dignum pœna coràm Deo, siue sit in homine peccatore, siue in existente in gratia.*

773 *Opus moraliter bonum in homine non existente in grãtia, siue fidelis sit, siue infidelis est indifferens ad meritum, vel demeritum.*

774 *Non omnis circunstantia quæ auget bonitatem; vel malitiam constituit actum moralem in specie boni vel mali: sæpius autem contingit circunstantiam non mutantem speciem peccati magis aggrauare, quàm quæ mutat.*

775 *Quando obiectum est malum de genere suo, & finis bonus; & quando obiectum est bonum de genere suo, & finis malus; actus est tantum in specie mali.*

776 *Quando circunstantia aut finis actus est ipsi extrinsecus, non tribuit nouam malitiam, aut bonitatem: quo fit vt dans eleemosynam propter amorem Dei, & proximi, non faciat actum bonum in dupli ci specie bonitatis.*

777 *Peccatum admissum ex ignorantia culpabili est in eadem specie in qua esset si fuisset admissum ex certa scientia: quo fit vt occidens patrem putans culpabiliter feram sit patricida.*

778 *Idem numero actus successiuè fieri potest bonus & malus: quo fit, vt bonum & malum non sint differentiæ per se actuum humanorum in genere naturæ; sed in genere moris.*

779 *Idem actus in genere naturæ, duplex, tamen in genere moris, potest generare duos habitus contrarios, vnum videlicet vitiosum, alterum studiosum.*

780 *Idem autem habitus non potest successiuè esse bonus & malus, nec potest producere duos actus contrarios, vnum vitiosum, alterum virtuosum.*

781 *Actus, & habitus naturalis, & supernaturalis; licet sint de eodem obiecto, & vterque bonus: tamen tam longè inter se distant; vt non possint esse vnus actus, aut habitus, nec vnus alteri continuari.*

Quan-

782 *Quando id quod appetitur propter finem habet vnde ex se appetatur, duplex est eius bonitas scilicet obiecti, & finis: prima substantialis: secunda extrinseca: si verò non habet vnde appetatur, vna tantum est bonitas, scilicet finis.*

783 *Ad actum moraliter bonum non est necessaria scientia moralis, neque habitus prudentiæ, neque actualis prudentia qua iudicatur de bono, & honesto; sed satis est iudicium virtuale de bono & honesto.*

784 *Omnis conscientia, siue recta, siue erronea de quacunque re habeatur, nos obligat, & obstringit, vt ipsam sequamur: & sic omnis voluntas discordans à recta ratione errante, mala est.*

785 *Si quis consentiat suæ conscientiæ erroneæ ex ignorantia culpabili, & vincibili, non excusatur à peccato secundum eam commisso; si verò procedat ex ignorantia inuincibili, eam sequi non est peccatum.*

786 *Ipsa conscientia non est potentia, neque habitus; sed est actus quidam qui voluntati dictat quid prosequendum sit, quidue fugiendum.*

787 *Vt quis dicatur agere contra conscientiam, non requiritur actuale iudicium; sed satis est quod præcesserit, & quod in virtute perseuerat.*

788 *Conscientia erronea obligat, vt eam sequamur ratione percepti diuini, ex suppositione tamen non absolutè, sicut etiam præceptum diuinum: non est autem dicendum in eo casu legem diuinam obligare ad malum per se; sed tantum per accidens.*

789 *Peccatum contra conscientiam non est contra speciale præceptũ; sed est contra illud præceptum, quod quis putat se transgredi agendo contra conscientiam.*

790 *Tenemur deponere conscientiam erroneam errore culpabili, non autem errore inuincibili, & quilibet conscientiam erroneam culpabiliter siue agat, secundum illam, siue contra illam, peccat.*

791 *Agere contra conscientiam erroneam errore culpabili aliquando est peccatum maius, aliquando minus, quam agere iuxta illam: obligat autem magis conscientia erronea inuincilis, quam præceptum prælati.*

792 *Facere id de quo dubitamus an sit peccatum mortale, est peccatum*

tum

tum mortale: facere id de quo dubitamus an sit peccatum veniale, est peccatum veniale.

793 *Facere contra conscientiam dubiam speculatiuam non est peccatum, immo etiam aliquando debemus agere contra scientiam certam speculatiuam.*

794 *Quando pro vna parte certum est, pro altera dubium; peccatum est facere id quod dubium est; nisi sequatur magnum detrimentum sequendum quod certum est.*

795 *Etiam si bonitas intentionis, & finis aliquid diminuat ex malitia electionis, & tãto plus quanto finis est melior; tamen quantumcunque augeatur bonitas intentionis & finis, nunquam malitia electionis funditus tollitur.*

796 *Si loquamur de bonitate ex parte obiecti, non est necesse vt tanta sit bonitas ex parte electionis, quanta ex parte intentionis, tam quoad electionem interiorem quàm quoad exteriorem.*

797 *Quando intentio est ratio, & causa electionis; tota bonitas intentionis redundat in electionem; similiter etiam intentio electionis sequitur intensionem intentionis.*

798 *Quando verò intentio non est causa electionis, possunt stare simul electio remissa cum intentione intensa; similiter quando est obiectum intentionis, stat intentio intensa cum electione minus intensa.*

799 *Voluntas creata vt bona sit, necesse est vt conformetur diuinæ voluntati in volito formaliter, quamquam voluntas nostra posit discordare à diuina voluntate in volito materiali absque peccato.*

800 *Tenemur conformari diuinæ voluntati, tam in præceptis affirmatiuis, quàm negatiuis; non tenemur autem conformari quoad ea quæ nec præcipit, nec contulit; nec vult; sed permittit.*

801 *Vbi non constat de diuina voluntate beneplaciti in aliquo particulari negotio; non est peccatum agere contra ipsam; & quamuis nobis constet de diuina voluntate beneplaciti in particulari, non tenemur illi conformari secundum appetitum sensitiuum, nec secundum voluntatem, vt natura quædam est.*

802 *Quando res à Deo volita non habet rationem mali, nec in ordine ad finem vniuersalem, nec in ordine ad particularem; laudabile est conformare se diuinæ voluntati in volito materiali.*

Lau-

803 *Laudabile etiam est conformare se diuinæ voluntati in ea re de qua est diuinum, vel præceptum, vel consilium: sin autem res aliqua habet rationem mali in ordine ad finem particularem; non est laudabile aliquando idem velle materialiter quod vult Deus.*

804 *Licet etiam aliquando homini viatori nolle id quod æquum est, & sanctum; Angelis verò sanctis & beatis hominibus non licet in vlla re diuino vel consilio, vel præcepto repugnare.*

805 *Bonitas ex obiecto, & ex natura sua prius reperitur in actu exteriori, quàm in interiori; contra verò actus interior in executione, & vsu, dat omnem bonitatem, & laudem actui exteriori.*

806 *Bonitas ex fine à voluntate communicatur actui exteriori: Bonitas verò ex obiecto ab actu exteriori communicatur voluntati, tamquam à causa æquiuoca.*

807 *Bonitas actus exterioris, quæ est ex obiecto, & circunstantijs, dependet à ratione: ad hoc autem quod actus exterior sit bonus non satis est bonitas voluntatis quæ est ex intentione.*

808 *Si voluntas bona sit ex obiecto proprio, fine, & circunstantijs, debitis; actus etiam exterior bonus erit: si verò voluntas sit mala siue ex fine tantum, siue ex aliqua circunstantia; actus exterior malus erit.*

809 *Quando actus exterior est bonus, vel malus solum ex ordine ad finem; tunc eadem est malitia, vel bonitas actus exterioris, & interioris: quando verò actus exterior ex se bonus est, vel malus; alia bonitas, vel malitia est in actu exteriori, & interiori.*

810 *Et tam in primo casu quàm in secundo vterque actus est vnum peccatum; etiam si, & à Deo, & à Republica vnum sine altero puniatur.*

811 *Actus exteriores dicuntur boni, vel mali intrinsecè & formaliter; quoniam sunt conformes, aut difformes rectæ rationi: Item causaliter, quia causant malitiam in voluntate: in exercitio autem, & vsu dicuntur boni, vel mali per extrinsecam denominationem.*

DE HABITIBVS VIRTVTIBVS VITIIS ET PECCATIS.

812 *Deus aliquando infundit hominibus non solum habitus, qui naturali virtute acquiri possunt; sed etiam eos, qui omnem naturæ conatum superant.*

813 *Certum est Deum posse iustificare, & glorificare homines sine habitibus infusis de potentia absoluta. Habituum infusio ita consona est sacræ scripturæ & sanctis Patribus; vt illos negare sit erroneum.*

814 *Probabilius est, & patrum doctrinæ magis consonum, nobis à Deo infundi habitus virtutum moralium: per actus autem virtutum infusarum non generatur habitus.*

815. *Habitus augentur non solum secundum se; sed etiam in ordine ad subiectum: non solum extensiuè respiciendo plura obiecta; sed etiam intensiuè per maiorem radicationem in subiecto.*

816 *Habitus Charitatis, & aliarum virtutum infusarum augetur per nostra opera tantum meritoriè dum sumus in gratia; habitus verò fidei & cæterarum virtutum augentur etiam in homine peccatore per eius opera.*

817 *Habitus non augentur per productionem noui habitus intensioris corrupto remissiori; neque per additionem gradus ad gradum, etiam si hoc in qualitatibus naturalibus concedi possit.*

818 *Actus intensiores habitu augent habitum: actus æque intensi disponunt ad augmentum habitus: actus verò remissiores ad ipsius remissionem disponunt.*

819 *Quolibet actu charitatis crescit charitas, quatenus amicitia est: sed non vt est qualitas: gratia crescit simpliciter omni actu charitatis.*

820. *Habitus qui habent contrarium, & quorum subiectum est corruptibile; corrumpuntur per se, & per accidens: qui habent subiectum corruptibile, & non habent contrarium; corrumpuntur per accidens, non per se: qui habent contrarium, non tamen habent subiectum corruptibile; corrumpuntur per se, non per accidens: qui verò non habent contrarium, nec subiectum corruptibile; non corrum-*

puntur, nec per se, nec per accidens.

821 *Habitus contrarij possunt esse simul in eodem subiecto in gradu remisso, non autem intensè vterque; sed vnus intensè, alter remissè.*

822 *Habitus contrarij se mutuo expellunt non efficienter; sed formaliter; actus autem primo, & per se, & efficienter, destruunt habitum contrarium.*

823 *Actus remissus contrarius sæpe ac sæpius multiplicatus, corrumpit habitum intensum contrarium: Omnes habitus siue naturaliter insiti, siue acquisiti possunt augeri, & intendi; charitas tamen cum habitibus naturaliter insitis, non potest diminui.*

824 *Habitus qui est perfectior, & intensior ex subiecti participatione, est etiam perfectior in seipso non per alicuius additionem; sed per maiorem radicationem in subiecto.*

825 *Habitus corrumpuntur, & diminuuntur per cessationem ab opere per accidens, quatenus scilicet cessante exercitio remouentur actus prohibentes causas corruptrices habituum.*

826 *Habitus qui sunt ad naturam, possunt plures in eodem subiecto esse; habitus verò qui sunt propriè dispositiones ad opera, quæ propriè ad potentias pertinent; possunt esse plures in eadem potentia.*

827 *Habitus illi qui sunt dispositiones ad naturam, distinguuntur secundum naturam; vt verò sunt forma; distinguuntur ex parte agentis; vt verò sunt dispositiones ad operationes; distinguuntur secundum obiecta.*

828 *Habitus boni & mali specie inter se distinguuntur: habitus verò acquisiti & infusi, siue vnus bonus sit, alter malus, siue vterque bonus; semper specie distinguuntur.*

829 *Vnus est habitus operatiuus qui de sua essentia inclinat in bonas operationes, sic vt impossibile sit inclinare in malas; nam idē habitus non potest successiuè inclinare in bonum & malum.*

830 *VIRTVS est bona qualitas mentis, qua rectè viuitur, & nullus malè vtitur, quam Deus in nobis sine nobis operatur, & præter vltimam particulam competit hæc definitio virtutibus non solum infusis; sed etiam acquisitis.*

831 *Virtutes sunt in potentijs animæ, sicut in subiecto; non potest autem vna virtus æqualiter esse in pluribus potentijs; potest tamen esse*

se

se in vna præcipuè, in alijs dependenter.

832 *Intellectus sine vllo ordine ad voluntatem non potest esse subiectum virtutis simpliciter; sed tantum quatenus habet ordinem ad voluntatem: eodemque modo cæteræ potentiæ non sunt subiectum virtutis, nisi vt mouentur à voluntate.*

833 *Virtutes morales in ratione virtutis præstantiores sunt virtutibus intellectualibus; quia præstant rectum vsum: intellectuales verò tantum facultatem: virtutes tamen intellectuales secundùm se ex obiecto & subiecto, & ex ipso actu sunt præstantiores moralibus.*

834 *In appetitu sensitiuo sunt habitus boni & mali, & inter cæteros fortitudo & temperantia, siue sit acquisita, siue infusa: non autem in voluntate.*

835 *Virtutes & vitia existentia in appetitu sunt veræ virtutes & vitia; sunt autem in appetitu non secundum se, sed virtutes, quatenus participant rationem; vitia, quatenus à ratione deuiant voluntate consentiente.*

836 *Vires apprehensiuæ sensitiuæ virtutis, siue interiores, siue exteriores, non sunt subiectum alicuius virtutis: interiores tamen (sensu communi excepto, sunt subiectum habituum permanentium, qui tamen nō sunt virtutes: in vniuersum aũt illa potentia est subiectũ virtutis, quæ est cōsummatiua operis ad quod ponitur talis virtus.*

837 *Non est autem virtus in voluntate in ordine ad bonum proprium, sibique proportionatum, & minimè difficile; ad illud enim suapte natura, & impetu fertur, sed in ordine ad bonum proprium difficileque obtentu.*

838 *Ad habitum virtutis infusæ, & ad ipsius actum non est in voluntate naturalis inclinatio; sed tantum capacitas quædam, & aptitudo naturalis ad ipsum recipiendum.*

839 *In voluntate est inclinatio naturalis ad omne obiectum bonum secundum rationem in qualibet materia virtutis; non est tamen perfecta inclinatio, sed initiatiua.*

840 *Voluntas ad bene promptè, & delectabiliter operandum non est naturaliter inclinata secundũ se circa quodlibet obiectum bonum secundum rectam rationem; sed circa illud tantum cuius specifica ratio nullam addit difficultatem respectu voluntatis.*

841 *Habitus intellectuales speculatiui sunt virtutes tantum secundum quid; sunt autem scientia, sapientia, intellectus: eodem etiam modo habitus intellectualis practicus dicitur virtus.*

842 *Duæ sunt virtutes intellectuales practicæ, ars & prudentia, quarum posterior multo potiori ratione dicitur virtus quàm prior; quia inclinat ad bene operandum. Est autem vtraque in intellectu practico, & numquam decipit.*

843 *Existente efficaci imperio ex parte intellectus, necessitatur voluntas, vt ratione imperante obediat; nihilominus ex parte appetitus tàm intellectiui quàm sensitiui, necessariæ sunt virtutes, vt ratio rectè dominetur, & imperet.*

844 *Virtutes intellectuales (vna excepta prudentia) possunt esse sine moralibus; nam morales ipsam præcedunt, quatenus ipsi finem præscribunt, afficiendo ad rectum finem, & remouendo & cohibendo passiones: cum tamen ipsa prudentia antecedat morales, illuminando, dirigendo & tollendo errores intellectus.*

845 *Virtutes morales non sunt passiones, sed habitus passionum moderatores; non possunt autem esse cum passione, quæ est inordinatus affectus; sed tantum cum ea, quæ est motus appetitus sensitiui.*

846 *Tristitia de ijs quæ virtuti conueniunt; non potest esse cum virtute: potest autem esse de his quæ virtuti opposita sunt.*

847 *Non omnis virtus moralis est circa passiones; sed aliquæ circa operationes.*

848 *Virtutes morales non euellunt radicitus passiones humanas; sed eas imperio rationis subijciunt; & tales passiones imperio rationis subiectæ laudem merentur, & sunt in omni viro studioso.*

849 *Virtutes Cardinales inter virtutes humanas principem locum obtinent, & inter eas primo loco est Prudentia, tùm Iustitia, postquam Fortitudo, extremo loco Temperantia.*

850 *Nulla harum virtutum Cardinalium propriè reperitur in Angelis; nisi quatenus præparant voluntatem si opus esset, & quatenus eas desiderant in hominibus.*

851 *Fides, Spes, Charitas acquisitæ, non sunt virtutes theologicæ, immo etiam actus supernaturales harum virtutum, ab actibus virtutum*

tutum acquisitarum differunt, non solum in genere moris; sed etiā in genere naturæ.

852 *Fidem, Spem, Charitatem, distinctas virtutes esse, de Fide est, & ordine quidem generationis quoad suos actus prima est Fides, tum Spes, vltima Charitas: in infusione verò nullus est ordo, quia omnes simul infunduntur: ordine demum perfectionis prima est Charitas.*

853 *Virtutes sunt in nobis à natura secundū inchoationem & aptitudinem, non secundum perfectionem, quæ per exercitium & laborē acquiritur: hæc aptitudo ad virtutes est nobis naturalis, tùm ratione speciei, tum vero etiam ratione indiuidui.*

854 *Nulla in nobis est naturalis aptitudo ad virtutes theologicas; neq; in statu quidem innocentiæ; quin etiam nulli creaturæ possunt esse naturales.*

855 *Virtutes infusæ sunt perfectiores acquisitis, vt prudentia infusa, quàm prudentia acquisita.*

856 *Asserere quòd augmentum istarum virtutum sit à nobis efficienter sicut est meritorie; nihil habet temeritatis, & per diuinam potentiam fieri potest vt actus humani assumantur à Deo tanquam instrumenta effectiua gratiæ & virtutum, & augmenti ipsarum.*

857 *Deus de potentia sua absoluta non potest facere vt homo, vel Angelus, vel perfectior illis, creatura (si eam conderet) esset efficiens principalis causa gratiæ, & virtutum supernaturalium.*

858 *Omnes virtutes morales, vna excepta Iustitia, consistunt in medio inter duos habitus vitiosos; quantum verò ad effectum operis, omnes nulla excepta, consistunt in medio.*

859 *Medium virtutum moralium est medium rationis causaliter, & effectiuè; medium verò iustitiæ, est etiam medium rei: medium virtutum intellectualium speculatiuarum consistit in intellectus conformitate ad rem intellectam: excessus, est affirmare quod non est: defectus, negare quod est.*

860 *Medium virtutis intellectualis practicè consideratæ, vt est habitus cognoscitiuus; est conformitas intellectus ad rem; consideratæ vero quatenus dirigit ad studiorum operationem*

non

non sumitur ex ipsis rebus; sed est conformitas ad iudicium practicum.

861 Virtutes theologicæ habent medium essentiæ, & circumstantiarum; non tamen habent medium quoad excessum & defectum, si considerentur in ordine ad suam regulam infinitam; habent tamen medium, & excessum quoad nos.

862 Virtutes morales inchoatæ, quæ nihil aliud sunt quàm inclinatio in nobis existens ad opus de suo genere bonum faciendum, non sunt inuicem connexæ; perfectæ vero, vt scilicet sunt habitus inclinantes ad opus bonum bene agendum, sunt inuicem inseparabiliter connexæ.

863 Virtutes morales acquisitæ, quæ sunt virtutes secundum quid; possunt esse sine charitate: virtutes vero morales infusæ nō possunt esse sine illa, sicut nec illa sine ipsis, saltem in adultis.

864 Virtutes infusæ sunt simpliciter virtutes, & faciunt perfectum habentem ad omne bonum opus paratum, etiamsi adsint passiones inordinatæ, siue naturaliter, siue ex mala consuetudine acquisitæ; de virtutibus autem acquisitis alia ratio est.

865 Virtutes eiusdem speciei in diuersis hominibus, immo in eodem homine successiuè, sunt inæqualis perfectionis ex parte subiecti, nam ex parte obiecti sunt æque perfectæ; specie verò differentes, possunt esse æquales vtroque modo.

866 Virtutes diuersæ speciei in eodem homine existentes non sunt æquales secundum intensionem; sed æqualitate proportionis: ex parte verò prudentiæ omnes sunt æquales.

867 Virtutes morales quoad suum materiale scilicet moderationem passionum non manent post hanc vitam; manent tamen in vita beata, quantum ad modum à ratione definitum.

868 Virtutes etiam intellectuales quoad materiale, scilicet phantasmata non manent post hanc vitam, manent autem in vita beata quoad suum formale, scilicet species & habitus.

869 Dona Spiritus sancti erunt perfectissime in patria quoad ipsorum essentias, non quoad operationes circa propriam materiam, & præferuntur omnibus virtutibus moralibus & intellectualibus; cedunt tamen theologicis.

870 VITIVM distinguitur à peccato, quia peccatum dicimus ipsum

sum actum peccandi, vitium verò dicimus habitum; habitus autem vitiosi, qui remanent in homine iustificato non sunt dicendi vitia, nec proinde ille vitiosus.

871 *Habitus virtutis potest esse cum vno actu peccati, & vnus actus virtutis cum habitu peccati; vnus enim actus non tollit habitum, vt habitus est.*

872 *Virtutes quibus opposita sunt peccata mortalia non corrumpuntur per peccata venialia; quibus verò opponunur venialia, per illa sola corrumpuntur.*

873 *De essentia peccati omissionis non est aliquis actus: vnde si daretur omissio libera absque omni actu esset culpabilis, & nobis imputaretur ad culpam: moraliter autem loquendo, non datur peccatū omissionis sine aliquo actu.*

874 *Per omissionem voluntariam actus alicuius virtutis quandò opus erat, non solum amittitur habitus virtutis; sed etiam acquiritur habitus illi contrarius.*

875 *Actus positiuus, qui est causa omissionis præcepti, si studiosus sit, minuit quidem culpam; tamen est peccatum: si verò tantum concomitans; non est peccatum.*

876 *Actus qui omissionis est causa, & ipsa omissio vnam formaliter malitiam habent, cum actus ille non est peccatum de genere suo: aliter quando est malus ex suo genere; tunc enim est duplex malitia.*

877 *Omissio non dicitur propriè, nisi quando est tempus implendi præceptum affirmatiuum; quando verò aliquis dat causam peccati imponendo impedimentum adimpletioni præcepti affirmatiui, vel se reddendo impotentem, formaliter peccat.*

878 PECCATVM *quod facit quis dum se exponit periculo omittendi præceptum, non est formaliter peccatum omissionis, nisi velit quis omittere.*

879 *Peccata quæ facit ebrius, aut is qui mentis compos non est, non habēt aliam malitiam, quàm eam, quæ est ex causa præcedentę.*

880 *Grauitas peccati omissionis expendenda est ex bonitate actus qui omittitur, ex eiusdem difficultate, ex causa, & ex obligatione ad actum omissum.*

881 *Peccatum est dictum vel factum, aut concupitum contra legem*

Dei,

Dei, & hoc intellige tam de peccato actuali, quàm omissionis.

882 *Quicquid est contra naturalem rationis regulam, est contra Deū non solum vt est finis naturalis; sed etiam vt finis supernaturalis: item quicquid est contra Deum, vt est finis naturalis, est contra regulam rectæ rationis; non tamen quicquid est contra Deum vt finem supernaturalem; est contra ipsum vt est finis naturalis.*

883 *Omnia peccata reuocantur ad carnale & spirituale: & omnia possunt esse in Angelis secundum reatum: secundum affectum verò; sola spiritualia.*

884 *Peccatum mortale & veniale non differunt specificè ex eo quod illud obligat ad pœnam æternam, hoc ad temporalem: neque ex eo quod hoc sit dignum temporali pœna, illud æterna: neque ex eo quod mortale sit contra præceptum, veniale contra consilium: neque ex eo quod peccatum præsciti sit mortale, prædestinati veniale.*

885 *Censendum autem est ipsa distingui ex natura rei, non tantum ex Dei gratia & misericordia; differunt autem essentialiter penes maiorem vel minorem auersionem à Deo.*

886 *Peccatum veniale debet dici peccatum proprie & simpliciter, etiam si in infinitū distet à mortali, etiam si in genere actus essent eiusdem speciei.*

887 *Peccata non sunt inter se connexa: tamen qui peccat in vno, fit omnium reus: quia peccat contra charitatem, quæ eminenter continet omnia præcepta.*

888 *Non omnia peccata sunt æqualia, neq; quoad reatum, neq; quoad pœnam: sed inæqualitatem habent tum ex repugnantia cum diuino beneplacito, tum ex natura auersionis, tum ex qualitate eius in quo peccatur, tum ex diuersa dispositione peccantium, tum ex diuersitate nocumenti peccati.*

889 *Grauitas peccatorum principaliter, & substantialiter attenditur ex obiecto; accidentaliter verò ex circunstantijs.*

890 *Principaliter & directè maximæ virtuti opponitur maximū peccatum, quasi maximè ab ea distans: si vero consideretur oppositio peccati & virtutis secundum quandam intentionem virtutis cohibentis peccatum; quo maior est virtus, eò magis præseruat hominem à peccatis minimis.*

891 *Peccata carnalia sunt quidem minoris culpæ quàm spiritualia;*

sunt

sunt tamen maioris infamiæ, & difficiliora ad eradicandum.

892 Vbi maior est ad peccãdum voluntas, ibi grauior est culpa: quod est quãdo finis peccãtis peior est, & plura comp'ectitur; causæ vero extrinsecæ excitantes voluntatem, quo plures sunt, eò minor est culpa: idem dico de paßionibus cõcupiscentiæ si non sint volitæ.

893 Nocumentum quod oritur ex peccato; si est præuisum & intentum directè aggrauat peccatum: si est præuisum sed non intentum, aggrauat indirectè.

894 Nocumentum nec præuisum nec intentum, si per accidens se habet ad peccatũm, indirectè auget peccatum ob inaduertentiam peccantis; si verò per se sequitur ad illud, auget directè.

895 Qualitas personæ peccantis, & in quam peccatur, auget peccatum.

896 Actus exteriores sunt formaliter mali, & absoni rectæ rationi in essendo; vnde hac ratione est in potentijs sensitiuis peccatum formaliter; in exercitio autem, & in genere m ris quoad demeritũ solus actus interior est malus formaliter: vnde hac ratione peccatũ formaliter est in sola voluntate.

897 In voluntate sunt aliqui motus purè naturales nulloque modo liberi: quidam semipleni, & semiliberi in quibus potest esse tantum veniale peccatum: quidam demum plenè liberi in quibus potest esse peccatum mortale.

898 Causa peccati non est Deus, aut aliqua alia natura; sed est humana voluntas carens rectitudine rationis accedens ad operandum; deformitas igitur & malitia actus referenda est in defectum & malitiam voluntatis.

899 Peccatum habet causam interiorem immediatam, intellectum & voluntatem; mediatam verò appetitum sensitiuum & sensus interiores; habet item causam exteriorem, quæ tamen non sufficienter inducit ad operandum.

900 Vnum peccatum potest esse causa alterius peccati; ita vt necessario sequatur ex illo in genere causæ per accidens, per se, finalis, efficientis, formalis, materialis.

901 Ignorantia dummodo non sit inuincibilis prohibens scientiam prohibentem peccatum, est causa peccati per se: si enim non prohibeat; concomitatur peccatum; & qui peccat primo modo, dicitur

L pec-

peccans ex ignorantia: secundo modo, dicitur peccans ignorans.

902 *Homo tenetur scire ea quæ sunt fidei; vniuersalia præcepta iuris naturalis, vt præcepta decalogi: & quæ sunt iuris positiui spectantia ad suum statum; & circumstantias quasdam in rebus agendis quæ dicuntur scientia facti.*

903 *Non omnis ignorantia est peccatum; sed tantum ignorantia ex negligentia eorum quæ sunt fidei, & præceptorum iuris vniuersalis. & eorum quæ spectant ad proprium officium.*

904 *Ignorantia eorum quæ quis scire tenetur, est peccatum secundũ se, non tantum ratione negligentiæ; sed ex propria ratione: vnde ignorantia illa ideo est peccatum, quia hoc vel illud ignorare est peccatum; cum tamen ipsa ignorantia non imputetur nobis ad peccatum, nisi quia procedit ex negligentia.*

905 *Ignorantia facit actum inuoluntarium cuius est causa: cuius vero non est causa, facit hominem non volentem: prima quantum est de se, excusat à peccato, nonnunquam tamen non totaliter excusat: secunda verò numquam excusat.*

906 *Voluntas non potest moueri à passione appetitus sensitiui directè, sed indirectè per intensionem passionis, vel imaginationem alicuius obiecti contrarij rationi.*

907 *Amor inordinatus sui est causa & fons omnis peccati, etiam odij sui ipsius, amor vero ordinatus sui est laudabilis, & necessarius ad conseruationem speciei.*

908 *Peccat ex malitia qui nulla impellente, vel inclinante passione, facit id quod scit esse malum; & omnes qui peccat ex habitu, peccat ex malitia; & huiusmodi peccatum est grauis peccato ex passione.*

909 *Non omne peccatum ex malitia est ex habitu; peccatum autem ex habitu, ceteris paribus, grauius est peccato inconsueto.*

910 *Deus non est causa peccati quoad malitiam: Diabolus verò non est causa nostri peccati directe: sed per modum persuadentis & proponentis obiectum: vnde non potest cogere ad peccandum; nec omnia nostra peccata ex eius instigatione oriuntur.*

911 *Certa fide credendum est primum, primi hominis peccatum originaliter tantum ire in posteros, & esse verè peccatum faciens nos inimicos Dei*

912 *Si mulier pareret filium sine virili semine; is non haberet peccatum*

tum originale; vnde non esset inuisus Deo.

913 Aeua non statim atque comedit pomum amisit iustitiam originalem, nec sensit sensualitatem sibi rebellem; sed statim atque peccauit Adam vterque iustitiam amisit.

914 Peccatum originale non fuit luxuria in Adamo, nec concupiscentia Aeuæ, vel carnis, quam dicimus fomitem, nec amor terrenorum, neque primum peccatum actuale Adæ à quo homines extrinseca denominatione peccatores dicantur; sed inhæret singulis formaliter.

915 Est igitur peccatum originale illud primum peccatum à primo parente in nos origine transfusum; id enim quod in ipso habuit rationem peccati; in nobis habet rationem peccati: id quod in ipso fuit effectus peccati; in nobis etiam est effectus peccati.

916 Illa inobedientia, & transgressio primi parentis in nos origine translata: est peccatum originale quod in nobis est per modum habitus: est autem priuatio ordinis & electionis quam mens nostra habebat erga Deum in statu innocentiæ.

917 Nam iustitia originalis pro formali dicit subiectionem mentis ad Deum: pro materiali, subiectionem potentiarum ad rationem & corporis ad animam: quod vtrumque per peccatum ablatum est; per baptismum autem redditur primum, non secundum.

918 Peccatum originale in omnibus hominibus est vnum specie non numero; in quolibet autem homine est vnum numero: vnde quemadmodum à iustitia Christi tamquam efficiēte, dicimur iusti; ita à peccato Adæ tamquam efficiente, dicimur peccatores.

919 Est autem ipsum originale peccatum in semine tamquam in causa instrumentali; quia per virtutem actiuam seminis traducitur in prolem: non est autem in carne tamquam in subiecto; sed tantum in anima, Anima non inquinatur ex sua creatione; sed ex infusione in corpus.

920 Peccatum originale prius est in essentia animæ, quàm in potentijs: est etiā in toto homine, sed mediante anima rationali, & prius inficit voluntatem, tùm imaginatiuam, tùm concupiscibilem, tùm sensus exteriores.

921 Infantes non baptizati non sunt subiecti pœnæ sensus; sed pœnæ damni scilicet priuationi beatificæ visionis: neque vero ex ea

tristantut; non enim cognoscunt se priuatos esse diuina visione ob parentum peccatū in eos originaliter transfusum, uel si cognoscunt; sciunt pœnam esse iustissimam.

922 Ex peccato contrahitur macula, quæ non est relatio rationis qua peccator intelligitur dignus pœna; sed est priuatio decoris gratiæ & pulchritudinis spiritualis manens etiam post actum peccati: Est autem macula maior vel minor secundum grauitatem peccati.

923 Omne peccatum causat reatum pœnæ; qui nihil est aliud quam dignitas pœnæ; peccatum per se non potest esse pœna peccati; sed hoc tripliciter accidit: vel quia est causa subtractionis gratiæ qua vincimus tentationes: secundo ratione actus; qua ratione aliquod peccatum est sui ipsius pœna, vt inuidia: tertio ex parte effectus quia affert ignominiam.

924 Solum, & omne peccatum mortale dignum est æterna pœna sensus & damni.

925 Pœna damni etiamsi infinita sit, & sit priuatio; est tamen inæqualis secundum inæqualitatem peccatorum, non secundum se; sed in sua causa; pœna verò sensus est finita, & inæqualis secundum se.

926 Peccatum mortale in inferno punitur pœna æterna: & quamuis pœna sensus peccati mortalis & venialis sit finita: quantumcumque tamen augeatur pœna venialium peccatorum; numquam attingit pœnam vnius peccati mortalis.

927 Post ablatam maculam peccati per pænitentiam, aliquando manet reatus ad pœnam, quæ non est propriè pœna; & dicitur satisfactio quam quis potest pro alio pati, non potest autem manente peccato tolli reatus ad pœnam.

928 Pœna medicinali & temporali vnus punitur pro peccato alterius, non autem pœna æterna: posset etiam Deus statuere vt omnes perpetuo careamus visione beatifica, & suo iure potest occidere innocentes pro peccatis aliorum.

929 Quicquid est contra præceptum, est peccatum mortale: & peccatum mortale ex genere suo distinguitur à veniale ex genere suo; peccatum veniale ex genere suo, disponit indirectè ad mortale ex genere suo; at directè ad peccatum mortale ex parte agētis.

930 Peccatum veniale non potest fieri mortale sic, vt idem actus nu-

mero

mero, primo sit veniale, deinde mortale: item quantumcumque multiplicentur venialia: numquam sunt mortale.

931 *In statu innocentiæ non potuit Adam peccare venialiter, sed necesse fuit vt prius peccaret mortaliter: Angeli etiam in quocumque statu considerentur; non potuerunt, nec possunt peccare venialiter.*

DE GRATIA IVSTIFICATIONE AC MERITIS.

932 *IN cognitione cuiuscumque veri, homo indiget diuino auxilio vt intellectus moueatur à Deo ad suum actũ: Deus enim dat formam per quam intelligimus, & mouet nos ad intelligendum.*

933 *Homo in statu naturæ lapsæ potest viribus proprijs cognoscere aliquas virtutes morales, & interdum iudicare, quid quærendum sit, quid vè fugiendum.*

934 *In eodem statu homo non potest viribus proprijs sine diuina gratia, & illustratione peculiari, habere certam cognitionem, & iudicium de eo quod faciendum & fugiendum est in omni re ad morales virtutes pertinente.*

935 *Credere totam Christi fidem & doctrinam assensu Christiano, & certo, & ob eam causam quia veritas prima reuelauit; nemo potest sine spirituali auxilio gratiæ Dei.*

936 *Hæc peculiaris gratia quæ requiritur ad Christiane credendum necessaria est, tum ex parte voluntatis, vt scilicet voluntas piè afficiatur erga res fidei, tum ex parte intellectus; vt eleuetur ad cognitionem eorum quæ nostræ naturæ captum superant.*

937 *Hæc gratia requiritur non solum vt facilius & firmius credamus; sed vt simpliciter credamus; neque verò est solus generalis Dei concursus; sed dicit auxilium speciale.*

938 *Homo in statu naturæ integræ poterat perficere bonum suæ naturæ proportionatum sine gratia; egebat autem gratia ad bonum supernaturale consequendum; at vero post corruptam culpæ labe naturam, non solum supernaturale; sed nec omne naturale bonũ potest*

sine

ſine auxilio diuinæ gratiæ comparare.

939 *Homo in præſenti ſtatu ſine auxilio Dei ſpeciali tantum ex viribus naturæ poteſt bonum aliquod morale operari; ſed rarò, & difficulter; vnde ad benè moraliter operandum ſemper; vel ſaltem plerumque requiritur gratia.*

940 *Omnia illa opera quibus peccator tendit, & diſponitur ad iuſtitiam & gratiam iuſtificantem, ſiue mediatè ſiue immediatè; non poſſunt fieri ſine ſpeciali auxilio diuinæ gratiæ.*

941 *Homo in ſtatu naturæ integræ non indigebat ſupernaturalibus donis ad Deum ſuper omnia diligendum; quamuis indigeret auxilio Dei ad hoc mouentis.*

942 *Homo in ſtatu naturæ lapſæ non poteſt per ſua naturalia diligere Deum ſuper omnia; & in quocumque ſtatu conſideretur; indiget auxilio gratiæ ſpeciali ad diligendum Deum dilectione ſupernaturali.*

943 *Si quis exiſtens in puris naturalibus haberet actum dilectionis conuertendi ſe in Deum ſuper omnia dilectione perfecta per totam vitam, quantum in ſe erat, & ſtatim moreretur; ſuſciperet aliquod præmium ab auctore naturæ.*

944 *Homo in ſtatu naturæ integræ per ſuas vires naturales poterat implere præcepta naturalis legis quantum ad ſubſtantiam operum; præceptum autem illud quotieſcumque comederis, &c. fuit ſupernaturale.*

945 *In ſtatu naturæ lapſæ non poſſumus implere omnia præcepta diuina ſine gratia ſanante; poſſumus tamen obſeruare ad breue tempus omnia præcepta legis naturalis: ad longum tempus quædam tantum, præſertim quoad ſubſtantiam operum.*

946 *Sunt quædam ſpecialia præcepta quæ propter incidentes tentationes non poſſunt ſeruari ſine ſpeciali auxilio diuinæ gratiæ: aliqua vero præcepta ſupernaturalia quantum ad ſubſtantiam operum, poteſt homo adimplere ſine gratia iuſtificante, vt præceptum fidei, ſpei, &c.*

947 *Nonnulla præcepta ſunt, ad quorum impletionem etiam quoad ſubſtantiam operum requiritur auxilium diuinæ gratiæ gratum facientis; & ſine hac nullum præceptũ poteſt adimplere meritoriè.*

948 *In cælum clamat illa blaſphemia dicentium liberum arbitrium*

poſt

post peccatum rem esse de solo titulo; & hominem dum facit quod in se est, peccare mortaliter; & hominem hypocritam fieri cogitando de peccato cum contritione.

949 *Item ea quæ asserit hominem, quo magis se disponit ad gratiam, eò grauius peccare, quòque homo sceleratior est; eo citius illi à Deo gratiam infundi.*

950 *Hæreticum est dicere hominem ex facultate naturæ posse se præparare ad gratiam introducendo vltimam dispositionem ad illam, ita vt illa præparatio sit meritoria gratiæ & gloriæ de condigno.*

951 *Dispositiones antecedentes nostram iustificationem sunt etiam à Deo præueniente; opus autem moraliter bonum & quicquid homo facit ex propria naturæ facultate non est dispositio ad gratiam; sed sed est veluti siccitas in ligno in ordine ad formam ignis.*

952 *Homo non potest à peccato resurgere sine auxilio gratiæ, & interna Dei motione: cum gratia autem sanante possumus cauere omnia peccata mortalia, & singula venialia sed non omnia simul.*

953 *Nullus homo adultus nec fuit, nec erit sine peccato veniali excepto Christo Domino, ob vnionem hypostaticam; & Beatissima Virgine eius matre, ob speciale priuilegium: & de vtroque certa fide constat.*

954 *Ad singulos actus supernaturales, etiam in homine iusto requiritur auxilium speciale, vt ad credendum, sperandum, amandum Deum ex charitate: omnes autem actus meritorij vitæ æternæ sunt supernaturales: vnde iusti ad singulos actus meritorios indigent auxilio speciali.*

955 *Gratia habitualis non solum efficit hominem gratum Deo formaliter; sed etiam confert illi auxilium ad bene operandum, & hoc de fide est: homo iustus non potest perseuerare in bono per suas vires sine auxilio quod est à gratia: ad perseuerandum autem indiget alio auxilio speciali præter gratiam iustificantem, & virtutes infusas.*

956 *Gratia non est virtus, sed virtute præsupponitur tamquam eius radio, & principium: ideoque non est charitas; sed ab ea realiter distinguitur, ita vt Deus possit infundere gratiam sine charitate.*

957 *Est autem gratia qualitas animæ infusa per quam diuinæ naturæ consortes efficimur; & de natura sua efficit homines Deo gratos, & amabilis; cum tamen Deus quæ sua est omnipotentia posset illos*

sine

sine gratia sibi amicos facere.

958 *Gratia, altera est gratum faciens; altera gratis data, quarum dignior est gratum faciens.*

959 *Diuiditur etiam gratia in operantem, seu præuenientem, & cooperantem, siue subsequentem; quarum prior est qua Deus mouet hominem passiue se habentem ad bonum; posterior, qua homo Deo mouenti cooperatur.*

960 *Causa finalis gratiæ est gloria Dei, Christi, & vita æterna; causa efficiens principalis, est Deus; instrumentalis, sunt sacramenta; efficiens meritoria; Christus Dominus.*

961 *Gratia non creatur, sed educitur de potentia obedientiali animæ; nulla vero ratione potest dici homo causa gratiæ; est enim tantum præparator sui ipsius ad illam: nec id quidem perfectè, nisi illa supposita.*

962 *In adultis ad gratiam habitualem recipiēdam requiritur proportio ex parte ipsorum, quæ est motus liberi arbitrij.*

963 *Ad gratiam qui est donum Dei præparantis ad bonum, nulla prærequiritur dispositio ex parte hominis quasi præuenientis diuinum auxilium.*

964 *Homini facienti quod in se est, vt præparet se ad gratiam per actus Fidei, Spei, Charitatis, & Pænitentiæ Deus necessario necessitate infallibili non coactionis confert gratiam iustificantem.*

965 *Homini facienti id ad quod Deus mittit auxilium præueniens quo excitatur vt iustificetur; nō semper cōfertur gratia iustificans: at vero omnis qui facit quod in se est auxilio præueniēti quod Deus ordinauit intentione absoluta ad gratiam iustificantem; semper consequitur gratiam iustificantem.*

966 *Omne auxilium gratiæ præuenientis, quod non attigit gratiæ productionem. ordinatur nihilominus à voluntate Dei conditionatà ad iustificandum peccatorem; verum absoluta Dei voluntate, præsupposita tamen obduratione peccatoris, ordinatur in eius perditionem.*

967 *Disparitatis gratiæ aliqua ratione causa est ex parte hominis magis se præparantis ad gratiam; principalis tamen causa est Deus, iuxta illud vnicuique data est gratia secundum mensuram donationis Christi.*

Per

968 *Per diuinam reuelationem specialem potest homo iustus habere certitudinem infallibilem de sua gratia, idque Beatißimæ Virgini, sanctis Apostolis, & Nathanaeli, & Magdalenæ concessum esse crediderim.*

969 *In omni iustificatione ita remittuntur peccata, vt nihil ex eis damnabile, vel culpabile remaneat coram Deo: & hoc negare est hæreticum.*

970 *Iustitia qua iusti sumus coram Deo non est ex nobis, neque ex viribus liberi arbitrij comparata: neque est iustitia qua Deus, & Christus Dominus iustus est, nobis imputata: & hoc asserere hæresis est.*

971 *Nos autem dicimur iusti iustitia Dei, & Christi; quia efficit nos iustos impartiendo eam secundum mensuram donationis Christi; & hoc de fide est.*

972 *Iustitia qua iusti sumus, est formaliter inhærens animis nostris; quo fit vt iustificati verè iusti sint: & hoc de fide est; ipsa etiam iustificatio non tantum dicit remißionem peccatorum, sed etiam dicit ipsam acquisitionem iustitiæ, & renouationem hominis interioris.*

973 *Deus de omnipotentia sua absoluta potest remittere omnem pœnam tam temporalem quam æternam homini existenti in peccato mortali durante eius prauo, & iniquo animo absque infusione gratiæ, quæ sit qualitas animæ inhærens.*

974 *Si gratia accipiatur pro gratuito Dei beneficio repugnat Deum remittere peccatum sine gratia: repugnat etiam perfectè remitti peccata sine diuina gratia, & beneuolentia acceptante.*

975 *Ipsum peccatum nulla ratione deleri potest ex parte sua sine renouatione hominis interioris, & reali mutatione à prauitate ad rectitudinem.*

976 *Peccatum, & gratia ex natura sua, non ex Dei institutione opponuntur: vnde existimo non posse gratiam esse simul cum peccato, nec de potentia quidem absoluta Dei.*

977 *Peccatum tollit gratiam non tantum demeritoriè; sed etiam efficienter: non ipsam gratiam attingendo; sed introducendo contrarias dispositiones quibuscum gratia consistere non potest.*

978 *Hæreticũ est asserere hominẽ in sua iustificatione nõ consentire*

M per li-

per liberum arbitrium; sed habere se merè passiuè sicut malleus in manu fabri.

979 *Neque tamen negamus adultum qui actualiter peccauit per sacramentum iustificari posse; id quod etiam sine sacramento à Deo fieri posse certissimum est.*

980 *De potentia Dei ordinaria non possumus mereri vitam æternam sine gratia: de potentia autem Dei absoluta bene possumus mereri vitam æternam sine gratia habituali.*

981 *De potentia Dei absoluta non potest homo mereri vitam æternā per opera naturalia non libera, vt nutritionem: possumus autem per opera moraliter bona ex viribus naturæ comparata.*

982 *Ad iustificationem impij requiritur motus liberi arbitrij detestantis peccatum: ipsa vero iustificatio quantum ad infusionem gratiæ fit in instanti: quantum verò ad præcedentes dispositiones, aliquando fit in tempore, & successiue, aliquando subito.*

983 *Gratia nostris animis diffusa est iustitia nostra, estq. causa formalis nostræ iustitiæ: idem dicendum de preciosissimis illis donis, quæ Deus nobis infundit cum gratia, cuiusmodi sunt omnes virtutes theologicæ præsertim charitas.*

984 *Inter Deum, & hominem non est meritum secundum æqualitatem iustitiæ; sed tantum secundum proportionem: præsupposita tamen ordinatione diuina.*

985 *MERITVM est opus studiosum, cui iure merces debetur, & requirit quatuor conditiones; prima, vt sit opus liberum, quam nec Deus quidem potest ab ipso separare: secunda quòd sit bonum opus: tertia quod sit exhibitum in obsequium alterius: quarta quod sit viatoris.*

986 *Opus studiosum qua ratione procedit à libero arbitrio, & secundum suam substantiā non est meritorium vitæ æternæ; sed tantum, vt procedit à gratia Spiritus Sancti.*

987 *Merita sanctorum fundantur in diuina gratia: sunt tamen verè, & proprie merita de condigno, licet Deus non teneatur ipsa acceptare.*

988 *Deus propriè nulli debet, neq. creaturæ obligatur; immo etiā nec sibi est obligatus, & obstrictus ad aliquid faciendum; Christus autem Dominus obligatur propriè nisi Deo.*

Quam-

989 *Quamquã Deus nihil nobis debet; tamen constantissimè, & fidelissime nobis præstabit quod promisit; alioquin non esset Deus.*

990 *Vt opus aliquod sit meritorium vitæ æternæ, non satis est gratia sine charitate, nec charitas sine gratia: omne autem opus studiosum, & moraliter bonum existentis in gratia, est meritorium vitæ æternæ.*

991 *Homo non potest sibi mereri primam gratiam: potest autem homo existens in gratia mereri alteri primam gratiam de congruo.*

992 *Nemo sibi ipsi meretur reparationem, neque de condigno, neque de congruo, neque antequam labatur, neque postquam lapsus est.*

993 *Homo existens in gratia potest sibi mereri augmentum gratiæ & charitatis, non solum de congruo; sed etiam de condigno.*

994 *Charitas, bonitas obiecti difficultas, & intensio actus, augent ipsius meritum, etiam respectu præmij essentialis: sola autem maior intensio habitus gratiæ non auget meritum.*

995 *Homo iustus potest sibi de condigno mereri perseuerantiam in gloria: at perseuerantiam in bono, vsq. in finem vitæ nemo potest de condigno mereri, immo nec impetrare ex lege infallibili: etiam si non negemus eum qui vere, & piè perseuerauerit in oratione usque ad finem petendo donum perseuerantiæ; id infallibiliter consecuturum.*

996 *Iustus non potest de condigno mereri temporalia bona secundum se: potest autem quatenus sunt vtilia, & conducentia ad vitam æternam.*

997 *Peccatores per opera quæ faciunt ex Dei motione, & ordinatione, licet habeant peruersam intentionem: merentur ex Deo præmium temporale: qua ratione Romanos maximum post homines natos imperium à Deo meruisse, verisimile est.*

DE FIDE.

998 *FIDES est habitus, vel actus quo assentimus dicenti propter eius auctoritatem: & quoniam sola Dei auctoritas est infallibilis: ideo sola diuina fides est infallibilis*

999 *Obiectum de quo fides credit quicquid credit est Deus, vt Deus, vt excedit naturalem cognitionem: quod si veritas pri-*

ma consideretur ut in se existit, idem de ea dicendum est.

1000 *Obiectum quod fides credit, & cui principaliter assentit, est veritas prima, ut complexè significabilis, & per propositiones: ut hæc, Deus est trinus in personis &c.*

1001 *Deus ut Deus, ut Saluator, seu veritas prima in essendo non est obiectum formale fidei: sed est veritas prima in dicendo, hec est veritas, & fidelitas Dei reuelantis aliquid certò, & obscure.*

1002 *Ratio formalis specificatiua diuinæ Theologiæ non potest esse specificatiua fidei: Theologiæ enim est virtualiter reuelatum: conueniunt autem in obiecto de quo, quod est Deus sub ratione Deitatis.*

1003 *Ad fidem spectant illæ veritates quæ attinent ad religionem Christianam, & communem Ecclesiæ vtilitatem: ijs vero, quæ reuelantur alicui fideli, etiam si sint supernaturalia ijs non assentimur per virtutem theologicam fidei.*

1004 *Ille quidem cui fit huiusmodi reuelatio ad assentiendum eget tantum lumine particulari indito à Deo per modum impreßionis transeuntis: alijs verò, quibus narratur huiusmodi reuelatio, sufficit tantum fides humana cum prudentia: nec ab Ecclesia ad id credendum coguntur.*

1005 *Plerumque etiam secundum legem ordinariam necessaria sunt aliqua exteriora motiua, quibus homines suauiter disponantur ad recipiendam fidem infusam, vel ad distinctè credendum credibilia.*

1006 *Assensus fidei nostræ non potest reduci ad fidem acquisitam, qua credamus ecclesiam esse veracem tamquam regulam credendi.*

1007 *Fides nostra quoad explicationem, & distinctionem credendorum resoluitur in testimonium Ecclesiæ rectæ à Spiritu Sancto, quatenus est vnus articulus fidei credere in vnam sanctam Ecclesiam Catholicam.*

1008 *Ecclesiam esse infallibilem regulam proponendi explicandiq. credenda, non potest reduci ad auctoritatem Ecclesiæ: sed ad auctoritatem Spiritus Sancti regentis illam.*

1009 *Quamuis Spiritus Sanctus æque illuminet mentes nostras quoad omnia credibilia: tamen via generationis ipsorum actuum vnus articulus prius tempore cadit sub fide, quàm alius.*

1010 *Obiectum fidei ex parte rei creditæ est in complexum: ex parte vero hominis credentis, est quid complexum per modum enunciabilis: fi-*

lis: fidei autem angelorum obiectum fuit in complexũ vtroq. modo.

1011 *Actus credentis principaliter terminatur ad rem, quæ est incomplexa: immediate autẽ terminatur ad enunciabile, quod est in mẽte.*

1012 *Etiamsi charitas, & spes possint diligere, & sperare obiectum falsum, fides tamen non potest credere falsum; obiectum enim fidei est infallibile vt est in mente diuina.*

1013 *Fide non credimus has, vel illas species panis esse corpus Christi Domini: sed fide credimus corpus Christi esse sub speciebus panis rite consecrati.*

1014 *Obiectum fidei non potest esse visum: ea vero quæ credenda sunt: visa sunt à credente non in speciali: sed sub communi ratione credibilis.*

1015 *Non visum, non est ratio formalis, quæ attingitur per fidem: sed pertinet ad rationem formalẽ intrinsecam fidei, quæ dicitur sub qua.*

1016 *Necessaria est motio voluntatis, vt intellectus per fidem Christianam rebus credendis assentiat: immo etiam ad fidem acquisitam requiritur motio voluntatis.*

1017 *Ad prudenter credendum per fidem, siue acquisitam, siue infusam non sufficit sola motio voluntatis; sed requiritur aliqua persuasio ex parte intellectus, siue intrinsecus per diuinã reuelationẽ, siue ab extrinseco angelicis, humanis, vel diuinis exhortationibus, & argumentis.*

1018 *Ad credendum, & assentiendum quomodolibet necessaria est ex parte intellectus aliqua persuasio, siue sit rationalis, siue apparens.*

1019 *Plurima argumenta confici possunt, quibus euidenter ostenditur euangelicam doctrinam esse credibilem super omnia credibilia circa vltimum finem hominis.*

1020 *Non est error in fide asserere quod de iis quæ non per se cadunt sub fide, possit simul esse fides, & scientia.*

1021 *Fides & scientia Theologica possunt esse in eodem subiecto eodem tempore de eadem veritate: non autẽ scientia humana: quare Christianus Theologus de eadem propositione habet scientiam, & fidem.*

1022 *Rationes quæ adducuntur à sanctis Patribus ad ea quæ sunt fidei, tantum probant non esse impossibilia ea quæ sunt de fide: non tamen probant posse esse talia in esse.*

1023 *Vbi occurrit aliquid in fide speciali ratione non visum; de eo est*

specia-

specialis articulus constituendus: vbi autem multa secundum eandem rationem sunt cognita, vel non cognita; de ijs non sunt distincti articuli ponendi.

1024 *Articulorum numerus ab exordio fidei per temporum successus non creuit quoad substantiam: sed secundum explicationem.*

1025 *Hæc duo principia, Deus est, & Remunerator est, quatenus naturali lumine cognosci possunt: dicuntur continere virtualiter omnes fidei articulos; quia in ipsis cæteri fundantur.*

1026 *Syllogismus procedens ex reuelatione in actu signato solum, non est demonstratio theologica: est autem qui procedit ex reuelatis in actu exercito, siue à priori, siue à posteriori.*

1027 *Non est asserendum quod post apostolorum tempora doctores Ecclesiæ, vel etiam ipsa Ecclesia plura credat de pertinentibus ad fidem, aut explicatius, quàm ipsi apostoli, & sacri scriptores euangelicæ doctrinæ crediderint.*

1028 *Non est necesse, vt quanto est Ecclesia ab apostolorum temporibus remotior, tanto sit in illa minus perfecta cognitio mysteriorum fidei.*

1029 *Etiamsi quantum ad scientiam sacræ scholasticorum Theologiæ, quæ humana diligentia comparatur; nihil obstet quo minus asseramus succedentibus sæculis quædam vberius, & subtilius à posterioribus fuisse definita, & disputata.*

1030 *Existimo autem Apostolos in die sancto Penthecostes tantam donorum Spiritus sancti plenitudinem accepisse, vt nouerint omnes veritates pertinentes ad necessitatem salutis de credendis, & agendis: non tamen de futuris contingentibus.*

1031 *Credere est cum assensione cogitare, quatenus cogitare accipitur pro quadam consideratione intellectus cum quadam inquisitione antequam perueniat ad perfectam rei cognitionem.*

1032 *Vnus est actus, quo credimus Deo, Deum, & in Deum: qui tamen per hæc tria triplicem dicit relationem: Infideles non vere credunt Deum: in Deum verò soli fideles iusti credunt.*

1033 *Quamuis peccatores fideles non perfectè credant in Deum, possunt tamen dici verè credere Deum at verò Dæmones, & damnati tantum credunt Deo, & Deum.*

1034 *Ad salutem, & supernaturalem beatitudinem consequendam simpliciter,*

pliciter, necessarium est credere aliquid supernaturale, quod scilicet excedat omnem naturalem cognitionem, & rationem.

1035 *Immo etiam necesse est credere ea quæ naturali ratione in metaphysica probantur, scilicet Deum esse, esse vnum, simplicem, infinitum, optimum, & ab indoctis & philosophis secundum præparationem animi.*

1036 *Mysterium Dominicæ incarnationis oportuit omni tempore esse creditum aliquo modo apud omnes de necessitate salutis: diuersimodè tamen secundum diuersos status.*

1037 *In statu innocentiæ ante primum peccatum primus parens habuit explicitam fidem incarnationis Christi Domini, quatenus incarnatio ordinabatur in gloriam Dei.*

1038 *Post peccatum ante, & post legem scriptam maiores cognouerunt explicitè mysterium incarnationis, etiam secundum quod ordinabatur in remedium peccati per mortem Christi: minores vero cognouerunt implicitè.*

1039 *Tempore gratiæ, & reuelati euangelij omnes, etiam minores tenentur explicite credere mysteria Christi, præsertim illa, quæ publicè solennizantur, & proponuntur ab Ecclesia.*

1040 *Alias subtiliores considerationes circa incarnationis mysterium tenentur aliqui magis, aut minus explicitè credere secundum quod conuenit statui, & officio illorum.*

1041 *At post gratiam reuelatam omnes tam maiores, quam minores tenentur de necessitate salutis credere explicite mysterium sanctissimæ Trinitatis.*

1042 *Cognitio Dei naturalis numquam fuit fides implicita alicuius mysterij: & ideo tempore legis naturæ necesse fuit tamquam medium ad salutem credere explicitè Deum esse auctorem gratiæ, & remuneratorem donorum supernaturalium.*

1043 *Fides Christi Domini semper fuit necessaria in populo fideli necessitate præcepti: maximè tempore legis scriptæ.*

1044 *Ad salutem necessarium est credere Deum fuisse ab æterno, mundum in tempore factum: Item Deum esse vnum in substantia, trinum in personis; esseque nostrum saluatorem, & iustificatorem: & hoc postremum in omni statu credere necessarium fuit.*

1045 *Parochi, Confessarij Prædicatores, & Doctores Ecclesiæ tenentur*

ex præ-

vt praecepto tam diuino quam ecclesiastico ita explicite scire omnia pertinentia ad articulos fidei, vt alios poßint erudire, & corrigere.

1046 *Episcopi tenentur de praecepto tum diuino, tum ecclesiastico scire subtilitates, & maiora mysteria fidei ita sufficienter, ut poßint contradicentes, maxime haereticos arguere.*

1047 *Ad primam salutem scilicet iustificationem est necessaria hoc tempore fides explicita in Christum, vt medium sine quo non.*

1048 *Statim atque promulgatum & praedicatum fuit Euangelium per totum orbem, necessarium fuit ad salutem habere fidem explicitam Christi Domini.*

1049 *Actus fidei secundum se meritorius est, & acceptus apud Deum: non meretur autem vitam aeternam, nisi accedente charitate.*

1050 *Ratio demonstratiua sequens voluntatem credentis iam determinatam ad credendum, non modo non minuit meritum, sed etiam potius auget, nec vero tollit eius meritum circa hoc particulare obiectum demonstratiuum.*

1051 *Nullum testimonium, vel argumentum quod non faciat euidentiam in obiecto credito, tollit, vel minuit meritum actus fidei formalis, si consequatur voluntatem deliberatam.*

1052 *Qui iam firmiter credens articulum fidei conatur aliqua naturali, & euidenti ratione elucidare, non modo non minuit meritum fidei, sed etiam pium opus operatur.*

1053 *Fides interior producit confeßionem tamquam proprium actum nulla alia virtute mediante; etiamsi charitas imperet talem actum, sicut etiam actus aliarum virtutum.*

1054 *Confeßio fidei est necessaria ad salutem neceßitate praecepti affirmatiui: quod obligat, quando per eius omißionem subtrahitur debitus honor Deo, & vtilitas proximi.*

1055 *Haeresis est asserere, licere ad vitandam mortem corporalem, veritatem fidei verbo tenus negare.*

1056 *Interrogatum priuata auctoritate de religione, tacentem, aut respondentem, quid tua interest? & similia verba, probabile est non peccare mortaliter.*

1057 *Cum quis Christianus interrogatur ab infideli etiam publica auctoritate an sit Christianus, non ad inuestigandam fidem, sed ad inuestigandam regionem, aut factionem, & similia, tunc Christianus po-*

nus potest tacere se esse Christianum.

1058 *Licet Christiano apud infideles calare vestes ordinarias ex vsu, et consuetudine patriæ suæ, et induere se vestes alterius regionis infidelium, & exuere vestem lege mandatā à Tyranno à Christianis geri: dummodo non sit scandalum, nec debitus honor Deo auferatur: quod erit in Ciuitate in qua non sint Christiani.*

1059 *Vti veste infidelium ad eorum sectam profitendam, est mortale: nihil tamen obstat quo minus in Comedijs & Repræsentationibus vestibus infidelium sacerdotum vti possimus, si id fiat sine scandalo.*

1060 *Dicere Apostolum ad Hebræos* XI. *non definire fidem, est temerarium: dicere autem non sumi ibi fidē pro virtute Theologica: sed pro fiducia qua speramus nos visuros veritatem, quam credimus, est erroneum.*

1061 *Vt actus fidei sit perfectus, & completus: oportet esse aliquem habitum tum in voluntate, tum in intellectu.*

1062 *Fides est in intellectu speculatiuo tamquam in subiecto: tamen extensione fit practica quando per charitatem operatur.*

1063 *Si speculatiuum, & practicum sumantur, vt sunt differentiæ oppositæ diuisiuæ habituum, fides est practica, & speculatiua eminenter.*

1064 *Si vero practicum, & speculatiuum absolutè sumantur, & seiunctis imperfectionibus fides est speculatiua, et practica formaliter*

1065 *Nihilominus fides est primo, & per se speculatiua ratione obiecti per se: secundo est practica ratione tendentiæ in obiectum.*

1066 *Charitas non est forma intrinseca fidei; sed dicitur forma quatenus actus fidei per charitatem perficitur, & formatur cum ex se mortuus esset.*

1067 *Idem est habitus fidei formatæ & informis: & per hoc quod fides informis fit formata, non mutatur ipsa fides; sed subiectum fidei, quod est anima.*

1068 *Falsum est asserere, fidelem per peccatum mortale amittere habitum fidei formatæ, & acquirere alium habitum fidei informis.*

1069 *Fides secundum suam essentiam est virtus; si nomen virtutis accipiatur, prout dicit essentiam virtutis.*

1070 *Fides quantum est ex natura sua semper habet statum virtutis;*

N *nisi*

nisi impediatur ex vitio subiecti, & liberi arbitrij, qui in malum inclinant.

1071 *Sola fides formata habet statum virtutis, quia prompte, & delectabiliter operatur: fides vero informis non item.*

1072 *Fides tam informis, quàm formata multo magis perficit intellectum, quam quilibet alius habitus intellectualis siue naturalis, siue acquisitus.*

1073 *Aliqua perfectio, et bonitas est naturaliter in ipsa fide, & illi intrinseca, & in actu eius à charitate deriuata, & est de intrinseca ratione fidei quatenus habet statum uirtutis.*

1074 *Prædicta perfectio pertinet ad fidem tamquam perfectio propria speciei; non quod sine illa non seruetur species fidei; sed quia sine illa non est perfecta species etiam in ratione cognitionis fidei.*

1075 *Simpliciter loquendo, omnis qui est in charitate certius, & firmius adhæret rebus fidei ex habitu infuso; quàm qui est in peccato mortali, quantumuis antea habuerit perfectam fidem.*

1076 *In ratione habitus speculatiui potest esse fides informis intensior fide formata in alio Christiano, qui non habet tantam intelligentiā rerum supernaturalium.*

1077 *Actus fidei formatæ à charitate siue actualiter, siue habitualiter non potest esse peccatum, nec veniale quidem ex aliquo fine adiuncto.*

1078 *Fides sumpta pro habitu est vna virtus specie ex parte obiecti, & plures numero ex parte subiecti.*

1079 *Sumpta vero pro eo, quod creditur est vna fides quatenus habet vnum obiectum formale, & principale; licet plura sint obiecta materialia.*

1080 *Fides est prima inter omnes virtutes tam infusas, quam acquisitas per se loquendo: per accidens enim potest aliqua virtus esse prior fide tamquam remouens prohibens.*

1081 *Spes etiam nonnumquam dicitur introducere ad fidem, quatenus ex spe inducitur homo, vt perseueret in fide: fides autem est fundamentum aliarum virtutum supposita charitate ante illas.*

1082 *Prioritate dignitatis fides non est prima omnium virtutum etiā si in ratione entis, & metaphysicè loquendo fides habeat dignitatem quandā super omnes virtutes: est autē prima via generationis*

Cum

1083 *Cum fides dicitur esse fundamentum spiritualis ædificij, rectè applicatur metaphora; quia est prima pars continens, & connectens fundamentum.*

1084 *Etiam fides informis potest dici fundamentum spiritualis ædificij secundum potentiam, & aptitudinem quasi materialem.*

1085 *Fides simpliciter est certior prudentia, arte, sapientia, scientia, intellectu, prout sunt habitus acquisiti: etiamsi scientia, sapientia, intellectus secundum quid sint certiores.*

1086 *Fides est certior quam dona Spiritus sancti, quæ dicuntur scientia, sapientia, intellectus, quia ista comparantur ad fidem sicut ad obiectum quod præsupponunt.*

1087 *Fides secundum se est certior omnibus virtutibus intellectualibus lumine naturali cognitis.*

1088 *Fides, etiam prout est in nobis quoad nos superat certitudine omnem virtutem intellectualem.*

1089 *Etiamsi Angeli, & primus parens ante confirmationem, & peccatum habuerint fidem: quædam tamen de diuinis mysterijs manifestè cognouerunt, quæ nos non possumus cognoscere nisi per fidē.*

1090 *Temerarium est asserere non fuisse eiusdem rationis fidem quoad supernaturalia mysteria in angelis & primo parente.*

1091 *Euidentia credibilium in attestante non potest esse simul cum fide: dummodo sciamus attestantem esse fidelem.*

1092 *Angeli, Adam, Apostoli, & Prophetæ habuerunt magna testimonia, & cognitionem pleniorem & minus obscuram, quam nos: immo de quibusdam habuerunt euidentiam de quibus nos solam fidem habemus.*

1093 *In Dæmonibus, & damnatis est fides non infusa neque laudabilis.*

1094 *Fides, quæ est in Dæmonibus, & damnatis est acquisita, & quasi coacta: quia nollent credere, & non possunt suspendere actum credendi veritatem fidei Christianæ: ideoque ex hac fide non minuitur eorum culpa, & malitia.*

1095 *Qui non credit vnum articulum fidei cum pertinacia, amittit fidem infusam tam informem, quam formatam circa alios articulos, non solum secundum actum, sed etiam secundum habitum.*

1096 *Remanet autem in eo fides acquisita circa alios articulos: simi-*

liter is, qui ad fidem conuertitur, & credit omnes articulos prater vnum, remanet in infidelitate.

1097 *Ex parte obiecti formalis fidei non potest in vno esse maior fides quam in alio: potest autem ex parte obiecti materialis, quatenus hic plura explicitè credit quàm ille.*

1098 *Si fides consideretur ex parte subiecti quatenus magis, vel minus ab ipso participatur, potest in vno esse maior fides quam in alio, tum ratione intellectus, tum ratione voluntatis.*

1099 *Dicere fidem non esse maiorem in vno quã in alio, & non posse augeri, est contra ipsam fidem.*

1100 *Ex parte obiecti materialis potest esse maior fides informis quam formata quoad intellectum: sed non quoad voluntatem.*

1101 *Necesse est fidem esse à Deo quoad propositionẽ credibilium, non tamen omnibus immediatè à Deo proponuntur quæ credenda sunt; sed nonnullis vt Apost. & Prophetis, cæteris vero per prædicationẽ*

1102 *Solus Deus est causa propria principalis, & sufficiens fidei quantum ad assensum illius interius mouendo; homo vero est causa elicitiua actus.*

1103 *Postquam semel à Deo reuelata sunt mysteria fidei; potest quis ea credere humana ratione, & fide; non autem in ordine ad finem vitæ: id quod de Trismegysto, & Platone credi probabiliter potest.*

1104 *Fides docet non solum fidem formatam, & viuam; sed etiam informem, & mortuam esse donum Dei.*

1105 *Homini disposito ad fidem infunditur in baptismo fides quantũ ad habitum, & actum: etiam si aliquando non infundatur gratia: dispositio autem ad fidem est voluntas deliberata credere omnia, quæ sibi à Deo per Ecclesiam proponuntur.*

1106 *Fides quantum ad habitum, & actum potest infundi homini sic disposito etiam ante baptismum, & sine gratia, ac proinde multo potiori ratione post baptismum.*

1107 *Omnis qui credit videt se credere: at nullus Christianus potest esse certus certitudine fidei, cui non possit subesse falsum se credere ex habitu fidei infuso.*

1108 *Nullum est preceptrm quo obligamur credere nos credere actu fidei supernaturalis, & ideo Catholicus non amittendo fidem infusam potest ignorare se eam habere.*

Si lo-

1109 *Si loquamur de fide explicita euangelij, certum est excusari à peccato infidelitatis propter ignorantiam illos, qui numquam aliquid audierunt de illa.*

1110 *Infideles negatiue non damnabuntur propter infidelitatem, sed propter alia peccata, quorum pœna aliquando est infidelitas.*

1111 *Non tenetur infidelis vniuersaliter credere cuilibet homini dicenti, audi me, nam volo te supernaturalia docere, & erudire te in alia religione quam tu ignoras.*

1112 *Quamuis infidelis audiat Euangelium explicitè ab aliquo Christiano prædicatore: non statim peccat peccato infidelitatis si non credit: nisi prædicator afferat testimonia, quæ sufficienter conuincant hominem credere quæ prædicantur.*

1113 *Etiamsi idoneus prædicator ostendat Euangelium esse credibile: non sufficit vt statim gentilis teneatur credere: nisi ostendatur esse magis credibile quàm sit qualibet alia secta: & tunc peccat peccato infidelitatis.*

1114 *Quoties infideli proponitur Euangelium sufficienter; ita vt ipse teneatur credere, & de facto firmiter credit: certum est secundum fidem Catholicam eum credere ex auxilio Dei supernaturali.*

1115 *Vt homo iustè damnetur, probabile est non esse necessarium vt Deus det illi auxilium supernaturale sufficiens ad credendum.*

1116 *Infidelitas est in intellectu sicut in proximo subiecto; in voluntate autem sicut in proximo motiuo: quare si Christianus ita esset dispositus, vt nihil esset crediturus, nisi id humano testimonio, & ratione probaretur, esset infidelis.*

1117 *Peccator siue infidelis etiam idolatra potest multa opera bona moralia facere, quæ non sint peccata, absq. vllo auxilio supernaturali.*

DE AVCTORITATE ROMANI PONTIFICIS, ET CONCILII.

1118 ECCLESIA *est congregatio fidelium hominum baptizatorum visibilis sub vno capite* CHRISTO *in cœlis, & Vicario eius in terris.*

1119 *Fideles peccatores sunt vere partes Ecclesiæ militantis: & hoc*

de fide

de fide est, comprehendit tam præscitos quam prædestinatos.

1120 *Negare Ecclesiam esse visibilem; sed dicere vnumquemque in rebus ad salutem spectantibus relinquendum esse, vt à Spiritu sancto gubernetur, hæreticum est.*

1121 *Ecclesia hæc, quæ modo est, quæ antea fuit, & quæ futura est vsq; ad diem iudicij in doctrina fidei errare non potest.*

1122 *Eadem ecclesia non potest errare per ignorantiam inuincibilem, & inculpatam, ita vt aliquid asserat esse contra, vel secundum fidem, quod re vera non est.*

1123 *Omnes simul Theologi, & Pastores, qui sunt in Ecclesia non possunt errare ne in minima quidem re spectante ad fidem, quamuis multi possint errare.*

1124 *Asserere aliquam Ecclesiæ probatam consuetudinem esse malã, vel aliquam eiusdem legem esse iniustam temerarium est, & hæresim sapit.*

1125 *Dicere Ecclesiam errare in quibusdam moribus & ritibus quos, ab Apostolis per manus traditos perpetuo seruauit, & seruat est hæreticum.*

1126 *Ecclesia non potest consistere ex solis fœminis, neque solum ex multitudine baptizatorum infantium; neque in solo viro; sed ex multis, quorum pars sit in gratia: & hoc modo durabit vsque ad consumationem sæculi.*

1127 *Vera est hæc propositio, Ecclesia est prædestinata: falsa hæc, Ecclesia est damnata: licet in ea plures sint reprobi, quã prædestinati.*

1128 *Omnes homines simplices Ecclesiæ, qui non sunt nec Episcopi, nec Doctores: non possunt errare in fide: ita ut fides in solis Doctoribus seruetur.*

1129 *Traditio est sacra doctrina voce tenus primitus accepta, fideliũ vsu roborata, per manus in posteros sine scriptura translata.*

1130 *Nefas est, & stultum negare diuinas traditiones: si traditio sumatur pro doctrina diuinitus accepta siue voce, siue scriptis.*

1131 *Non omnia, quæ ad catholicam fidem spectant, reperiuntur in scripturis canonicis, neque aperte, neque obscurè siue implicitè.*

1132 *Sacra scriptura non ita clara est in omnibus, vt absque magistro & doctore posit intelligi quin potius in multis difficillimam habet intelligentiam.*

In Ec-

1133 *In Ecclesiá Dei pro omni statutum legis naturæ, tum legis scriptæ, tum legis Euangelicæ, necessariæ fuerunt sacræ traditiones, quibus populus Dei in fide & religione conseruaretur.*

1134 *Diuinæ traditiones tantam vim, & auctoritatem habent ad fidei dogmata confirmanda: quantam habet Ecclesia Catholica, Pontificum, ac Conciliorum definitiones, & denique quantam habet sacra scriptura.*

1135 *Summus Pontifex, seu Papa est Pastor vniuersalis Ecclesiæ, & Episcopus orbis, qui est Vicarius Christi in terris, & Petri Apostolorum Principis in prælatione successor.*

1136 *Papatus, siue summus Pontificatus est de iure diuino à Domino institutus: quo fit vt Respublica Christiana sit Monarchia, cuius Princeps, & Monarcha habet auctoritatem immediatè deriuatam à Christo Domino: non ab Ecclesia, sicut Reges à Populis.*

1137 *Est autem de fide summum Pontificem non esse alium quam Petri successorem, etiã si nullius particularis Ciuitatis esset Episcopus.*

1138 *Ad summum Pontificem spectat determinare ea, quæ sunt fidei cuiusmodi est editio symboli, & confirmatio Conciliorum tam Generalium, quam Prouincialium.*

1139 *Ad eiusdem auctoritatem pertinent omnia, quæ concernunt cõmunem Ecclesiæ gubernationem: vt congregare Concilia: eadem soluere: decernere locum, tempus, &c.*

1140 *Ecclesia post Meßiam maiorem habet vnitatem, quam haberet synagoga: quia tunc gentes extra Iudæos habentes fidem non subdebantur vnico capiti, sicut nunc.*

1141 *Neque summus Pontifex, neque tota Ecclesia possunt nouum articulum, aut nouum dogma condere quantum ad substantiam: sicut neque possunt nouum sacramentum instituere.*

1142 *Potestas summi Pontificis quæ procedit secundum communem vsum Iudicum secundum allegata, & probata, tam in causis criminalibus, quam in ciuilibus Christianæ Reipublicæ, vt excommunicandi, ligandi, absoluendi, est in ipso secundum totam suam plenitudinem.*

1143 *Participatur autem ab alijs Episcopis in suis diœcesibus, & potest à Pontifice delegari alicui, vt eam exercere poßit per totum orbem.*

Potestas

1144 *Poteſtas diffinitiua ad declarandas veritates fidei, conuenit ſoli ſummo Pontifici ex aſsiſtentia Spiritus ſancti, & nulli alij poteſt ab eo communicari.*

1145 *Summus Pontifex inquantum perſona priuata, & doctor poteſt errare in rebus fidei, ſiue errore vincibili, ſiue inuincibili.*

1146 *In publico fidei iudicio Apoſtolica ſedes ab Apoſtolico præſide, ſeu ſummo Pontifice, & Romana ſedes à Romano Pontifice non eſt diſtinguenda.*

1147 *In publico fidei iudicio ſummus idemq; Romanus Pontifex non poteſt errare, & eam habet firmam, ſtabilem ac infallibilem auctoritatem, quam habet ſucceſſor Petri Vicarius Chriſti.*

1148 *Si quis eſſet Pontifex putatiuus, aut non diffiniret quicquam contra fidem, aut ſi diffiniret non reciperetur ab Eccleſia, & error reuelaretur.*

1149 *Si quis incapax Pontificatus, vt fœmina, vel infidelis eligeretur in Pontificem ab ijs, qui habent legitimam eligendi poteſtatem; nullam haberet auctoritatem, aut iuriſdictionem ſpiritualem.*

1150 *Sicut ſummus Pontifex, & Concilium non poſſunt errare in rebus fidei definiendis, ita non poſſunt facere quin non adhibeant in his debitam diligentiam.*

1151 *In Concilio non ſunt admittendi Laici ad vim ſuffragij; etiamſi ſint viri prudentes, & pij vna cum clericis: ſed ſoli Epiſcopi, & Sacerdotes.*

1152 *Summus Pontifex poteſt confirmare ſententiam minoris partis Epiſcoporum in Concilio generali ſedentium, ex aſsiſtentia Spiritus ſancti.*

1153 *Concilium Generale congregatum, & confirmatum auctoritate ſummi Pontificis, non poteſt errare in rebus fidei diffiniendis.*

1154 *Concilium Prouinciale auctoritate ſummi Pontificis confirmatum: immo etiam Epiſcopale errare non poteſt in rebus fidei diffiniendis.*

1155 *Concilium Generale auctoritate ſummi Pontificis congregatum non tamen confirmatum non eſt infallibilis regula fidei Catholicæ: idē potiori ratione dicēdū eſt de Concilio prouinciali, vel Epiſcopali.*

1156 *Summus Pontifex in rebus fidei diffiniendis habet auctoritatem iuriſdictionis eminentioris tamen ordinis quam cæteri Epiſcopi, &*

& supra illos; quâ seipsum superat, & obligat ad credendum ea, quæ hac auctoritate definiuit.

1157 *Summus Pontifex non potest errare in ferendis legibus spectantibus ad mores necessarios toti Ecclesiæ, vt aliquid Apostolicæ disciplinæ repugnans determinet.*

1158 *Hæreticum est negare esse in Ecclesia, & summo Pontifice auctoritatem ad sanctos canonizandos: dicere autẽ Papam, aut Concilium in sanctorum canonizatione posse errare, periculosum est.*

1159 *Summus Pontifex habet auctoritatem discernendi, & definiendi modos conuenientes, quibus status religionis conseruetur, & promoueatur in Ecclesia.*

1160 *In religionum, & ordinum confirmatione, summus Pontifex non potest errare, ita vt approbet aliquem ritum, vel constitutionem legi, vel naturali, vel Euangelicæ contrariam.*

1161 *Postquam aliqua religio confirmata est cum suo speciali fine, & statutis, & constitutionibus oblatis, & examinatis, & approbatis à summo Pontifice: non ideo tamẽ statuta quæ fiunt ab eius religionis Prælatis intelliguntur virtualiter cõfirmata à summo Põtifice.*

1162 *In Romano Pontifice, qui solus est vniuersalis Ecclesiæ Pastor residet plenitudo potestatis de iure diuino.*

1163 *Præter Romanum Pontificem, aliorum etiam Episcoporum status est de iure diuino, non solum quoad potestatẽ ordinis, sed etiam iurisdictionis.*

1164 *Nullus potest esse Episcopus, aut Pastor legitimus in Ecclesia Dei sine consensu Romani Pontificis, siue explicito, siue implicito.*

1165 *Potestas iurisdictionis quæ residet in Episcopis simpliciter, & absolute est immediate à Romano Pontifice, & non immediate à Christo.*

1166 *Potest summus Pontifex auctoritatem iurisdictionis Episcopis auferre, & augere, & restringere, & hanc diœcesim huic Episcopo subtrahere, & alteri committere, sicut nouos Episcopatus erigere, antiquos destruere.*

1167 *Apostoli considerati vt tales, omnes fuerunt æquales, & omnes potestatem tum ordinis, tum iurisdictionis immediate à Christo receperunt.*

1168 *Si vero Apostoli considerentur vt oues Christi Beatissimus Pe-*

trus erat eorum Pastor, sicut aliorum Christifidelium: eam enim potestatem quam habuerunt à Petro recepturi fuissent: nisi eam illis Christus tribuisset.

1169 *Diuinas institutiones solus, qui eas instituit Christus immutare potest; Apostolicas verò, & Ecclesiasticas Romanus, idemq; summus Pontifex suæ plenitudine potestatis abolere, immutare, renouare potest, prout viderit id esse Ecclesiæ sibi concessæ salutare.*

1170 *Concilium Generale sine Episcopis celebrari non potest; potest autem sine Abbatibus, & Generalibus ordinum, & in eo Episcopi res fidei definiunt vt iudices, cæteri vero vt consiliarij.*

1171 *Ecclesia non comprehendit infideles, nec hæreticos, nec schysmaticos: immo Papa, qui se ab vnitate Ecclesiæ separat, non est formaliter membrum Ecclesiæ.*

1172 *Romanus, idemque summus Pontifex succedit Petro non in integra Apostolatus auctoritate; bene autem in præcipuo Apostolatus officio, quod est Ecclesiæ vniuersalis gubernatio.*

1173 *Cæterorum autem Apostolorum successores Episcopi non succedunt, nisi in Episcopatu: ideoque sola Romana Ecclesia Apostolica sedes, solusque Romanus Pontifex Apostolicus dominus dici debet.*

1174 *Petro in sua singulari persona collata est potestas supra vniuersalem Ecclesiam Christi, & hoc negantes hæresis damnantur.*

1175 *Hanc Petri primam, & vniuersalem potestatem necessarium est in Ecclesia permanere non solum in tota Ecclesia; sed in aliquo particulari Prælato.*

1176 *Ad solum Romanum, & Catholicum Episcopum spectat iudicare de omni* Principatu *spirituali, & temporali, de Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Imperatoribus, Regibus, Principibus, eos confirmando, damnando. & absoluendo.*

1177 *Omnes Christifideles tenentur non solum de præcepto Ecclesiastico, sed etiam diuino credere vnam sanctam Ecclesiam explicitè & expressè sub vno capite Christo in cœlis, & eius Vicario summo Pontifice in terris.*

DE

1178 Spes, & Fides humana non sunt veræ virtutes, spes autem vt infusa, est virtus distincta à cæteris.

1179 Proprium, & principale obiectum spei, est æterna beatitudo formaliter, nihilominus spes respicit etiam secundario aliam bona in ordine ad beatitudinem.

1180 Præsuppositа vnitate amoris ad alterum, potest quis sperare alteri æternam beatitudinem per eandem virtutē spei, per quam sperat sibi.

1181 Non licet sperare in aliqua creatura tanquam prima causa mouente ad beatitudinē: sed sicut secundario agente, præsupposita tamen gratia Dei; qua ablata, peccamus mortaliter contra virtutem spei.

1182 Fides, & spes non sunt in brutis, neque quoad actum neque quoad habitum.

1183 In hæreticis, & infidelibus non est spes, vt est virtus Theologica, nec actualiter, nec habitualiter; etiamsi sperent beatitudinē.

1184 Spes non est in existentibus in purgatorio saltem quoad actum: etiamsi certi sint de propria beatitudine, & eius mensura: in peccatore autem catholico non amittitur habitus spei per qualecunque peccatum.

1185 Peccatorem fidelem posse habere actum spei supernaturalem: ita certum est; vt oppositum asserere sit erroneum: remanere autem spem secundum actum, aut secundum habitum eiusdem rationis, non est ita certum, sicut de fidei, actu, & habitu.

1186 Certa fide credendum est spem non modo respicere diuinam gratiam, & misericordiam: sed etiam niti effectibus ipsius in nobis ab illa productis, per quos meremur gloriam.

1187 Culpa, & peccatum etiam sine respectu ad pœnam potest esse obiectum timoris filialis; cum tamen secundum suam intrinsecam rationem non sit obiectum timoris quatenus est voluntaria.

1188 Quando homo timet culpam, timet malum, inuoluntarium quatenus est ab exteriori principio, motiuo & passione seductione Dæmonis, vel aliorum & Dei permissione.

1189 Timor seruilis, vt respicit pœnam separationis à Deo excludendo chari-

do charitatem secundum suam substantiam manet cum illa, sed vt seruilis est, ipsam excludit.

1190. *Timor seruilis non est simpliciter virtus, nec donum Spiritus sancti: timor verò filialis non est virtus, sed donum Spiritus sancti.*

1191 *Datur praeceptum de spe, quod est veluti praeambulum ad fidem; estque affirmatiuum includens negationem non desperandi, quod pro semper obligat.*

1192 *Cum primum homo venit ad vsum rationis, & facit quod in se est, & illuminatur à Deo; tenetur ab ipso sperare beatitudinem, quod non faciendo; peccat contra fidem, spem, charitatem.*

1193 *Si cui Deus suam reprobationem reuelaret, is non teneretur sperare beatitudinem, & hoc faciens non peccaret; teneretur tamen implorare diuinum auxilium ad vitanda singula peccata.*

1194. *Si cui reuelaretur cras ipsum peccaturum tali peccato; is teneretur credere diuinae reuelationi, & quantum in se est conari nè peccet.*

1195. *Non repugnat quod ille homo, cui fit reuelatio de propria perditione diligat Deum ex charitate, qua pro tunc velit se conformare diuinae voluntati secundum ordinem diuinae iustitiae.*

1196. *Si tamen humanae naturae fragilitatem spectemus, difficile erit illi non desperare, & in odium Dei non prorumpere; dicimus tamen possibile esse, vt auxilio charitatis, & gratiae Dei ille diuinae voluntati se conformet, ac magis diligat Deum, quàm seipsum.*

DE CHARITATE.

1197 HARITAS *non est ipse Spiritus sanctus, sed habitus creatus infusus in animos nostros per Spiritum sanctum; estque amicitia, & perfecta virtus quantumcunque sit remissa.*

1198 *Charitas hominibus infusa est non secundum naturalem capacitatem; sed secundum dispositiones quasdam, & motus liberi arbitrij, non ex viribus naturae; sed ex Dei beneplacito praerequisitos in adultis.*

Chari-

1199 *Charitas est virtus specialis ab alijs virtutibus distincta; etiam si propter suam summam perfectionem in cuiusque virtutis diffinitione ponatur, & se extendat ad omnes actus humanæ vitæ per modum imperij.*

1200 *Est autem vna virtus specie respiciens vnum obiectum principale, scilicet Deum, & proximum in ordine ad ipsum Deum, nobilitate superans omnes virtutes tùm naturales tum supernaturales; ita vt nulla vera & perfecta virtus stare poßit sine charitate.*

1201 *Ideo dicitur forma, finis, radix, & fundamentum aliarum virtutum: forma, eas specificando: finis, eas ordinando ad vltimum finem: radix, & fundamentum, eas nutriendo, & sustinendo.*

1202 *Charitas magis propriè dicitur esse in voluntate quam in libero arbitrio, dicitur autem esse in ratione non sicut in subiectó, nec sicut in regulante, sed solum per quandam affinitatem rationis ad voluntatem.*

1203 *Charitas augetur in via non quoad obiectum, sed quoad intensionem actus: & hac ratione dicitur augeri essentialiter, & substantialiter: neque verò dicitur augeri per additionem alicuius distincti vel specie, vel numero.*

1204 *Non quolibet actu charitatis augetur charitas: etiamsi quilibet actus charitatis disponat ad eius augmentum: augetur autem per actum vnum intensiorem habitu præcedente.*

1205 *Ad primæ charitatis infusionem vnus actus sufficit: quilibet autem actus charitatis remissus meretur nouam gloriam essentialem: quæ nisi per subsequens peccatum, mortificetur, illi de facto conferetur in patria.*

1206 *Habitualis gratia non meretur nouum gradum gloriæ, sic etiã actibus imperatis à charitate non respondet augmentum charitatis distinctum ab eo quod respondet actibus elicitis.*

1207 *Charitas absolutè sumpta tàm in abstracto quam in concreto potest augeri in infinitum vltra quemcumque terminum aut gradum: in speciali autem id verificatur saltem de charitate patriæ.*

1208 *Charitas creata neque in via, neque in patria potest de facto esse infinita; cum tamen in via nullus eius augmento terminus imponatur.*

Quoniam

do charitatem secundum suam substantiam manet cum illa, sed vt seruilis est, ipsam excludit.

1190. *Timor seruilis non est simpliciter virtus, nec donum Spiritus sancti: timor verò filialis non est virtus, sed donum Spiritus sancti.*

1191 *Datur praeceptum de spe, quod est veluti praeambulum ad fidem; estque affirmatiuum includens negationem non desperandi, quod pro semper obligat.*

1192 *Cum primum homo venit ad vsum rationis, & facit quod in se est, & illuminatur à Deo; tenetur ab ipso sperare beatitudinem; quod non faciendo; peccat contra fidem, spem, charitatem.*

1193 *Si cui Deus suam reprobationem reuelaret, is non teneretur sperare beatitudinem, & hoc faciens non peccaret; teneretur tamen implorare diuinum auxilium ad vitanda singula peccata.*

1194. *Si cui reuelaretur cras ipsum peccaturum tali peccato; is teneretur credere diuinae reuelationi, & quantum in se est conari nè peccet.*

1195. *Non repugnat quod ille homo, cui fit reuelatio de propria perditione diligat Deum ex charitate, qua pro tunc velit se conformare diuinae voluntati secundum ordinem diuinae iustitiae.*

1196. *Si tamen humanae naturae fragilitatem spectemus, difficile erit illi non desperare, & in odium Dei non prorumpere; dicimus tamen possibile esse, vt auxilio charitatis, & gratiae Dei ille diuinae voluntati se conformet, ac magis diligat Deum, quàm seipsum.*

DE CHARITATE.

1197 CHARITAS *non est ipse Spiritus sanctus, sed habitus creatus infusus in animos nostros per Spiritum sanctum; estque amicitia, & perfecta virtus quantumcumque sit remissa.*

1198 *Charitas hominibus infusa est non secundum naturalem capacitatem; sed secundum dispositiones quasdam, & motus liberi arbitrij, non ex viribus naturae; sed ex Dei beneplacito praerequisitos in adultis.*

Chari-

1199 *Charitas est virtus specialis ab alijs virtutibus distincta; etiam si propter suam summam perfectionem in cuiusque virtutis diffinitione ponatur, & se extendat ad omnes actus humanæ vitæ per modum imperij.*

1200 *Est autem vna virtus specie respiciens vnum obiectum principale, scilicet Deum, & proximum in ordine ad ipsum Deum, nobilitate superans omnes virtutes tùm naturales tum supernaturales; ita vt nulla vera & perfecta virtus stare posßit sine charitate.*

1201 *Ideo dicitur forma, finis, radix, & fundamentum aliarum virtutum: forma, eas specificando: finis, eas ordinando ad vltimum finem: radix, & fundamentum, eas nutriendo, & sustinendo.*

1202 *Charitas magis propriè dicitur esse in voluntate quam in libero arbitrio, dicitur autem esse in ratione non sicut in subiecto, nec sicut in regulante, sed solum per quandam affinitatem rationis ad voluntatem.*

1203 *Charitas augetur in via non quoad obiectum, sed quoad intensionem actus: & hac ratione dicitur augeri essentialiter, & substantialiter: neque verò dicitur augeri per additionem alicuius distincti vel specie, vel numero.*

1204 *Non quolibet actu charitatis augetur charitas: etiamsi quilibet actus charitatis disponat ad eius augmentum: augetur autem per actum vnum intensiorem habitu præcedente.*

1205 *Ad primæ charitatis infusionem vnus actus sufficit: quilibet autem actus charitatis remissus meretur nouam gloriam essentialem: quæ nisi per subsequens peccatum, mortificetur, illi de facto conferetur in patria.*

1206 *Habitualis gratia non meretur nouum gradum gloriæ, sic etiã actibus imperatis à charitate non respondet augmentum charitatis distinctum ab eo quod respondet actibus elicitis.*

1207 *Charitas absolutè sumpta tàm in abstracto quam in concreto potest augeri in infinitum vltra quemcumque terminum aut gradum: in speciali autem id verificatur saltem de charitate patriæ.*

1208 *Charitas creata neque in via, neque in patria potest de facto esse infinita; cum tamen in via nullus eius augmento terminus imponatur.*

Quoniam

1209 *Quoniam non est eadem ratio augmenti charitatis in via, & in patria: hinc fit, vt quantumcumque charitas viæ augeatur: numquam tamen attingat perfectionem charitatis patriæ.*

1210 *Charitas viæ, & patriæ absolutè loquendo sunt eiusdem speciei, etiam si actus illarum quadam ratione non sint eiusdem speciei in genere moris.*

1211 *Habitus charitatis non potest diminui, nisi quod per peccata venialia minuitur feruor charitatis, scilicet habitus quidam acquisitus ordinans ad Dei dilectionem, & habitus item acquisitus qui est in parte sensitiua.*

1212 *Charitas in patria nullo modo amitti potest: in via verò potest amitti; non ratione Spiritus sancti mouentis; neque secundum propriam rationem, sed ex parte subiecti.*

1213 *Omnis natura rationalis in quouis statu præterquam damnationis potest, et debet diligi ex charitate supernaturali amore amicitiæ.*

1214 *Ex charitate debemus diligere nos ipsos, & corpus nostrum, & corpus, proximi: & cætera bona omnia, etiam ipsa charitas diligenda sunt ex charitate amore concupiscentiæ tanquã bona eius, quem ex charitate diligimus.*

1215 *Corpus nostrum, & corpus proximi tenemur diligere non solum quoad bona supernaturalia, scilicet beatitudinem; sed etiam quoad naturalia, vt bonam valetudinem, integritatem &c. in ordine ad Deum.*

1216 *Nemini licet velle malum culpæ ob quodcunque bonum: licet tamẽ velle peccatori mala temporalia in ordine ad bonũ spirituale.*

1217 *Nobis tamen non nisi auctoritate publica ea licet inferre, sicut neque peccatori licet ea sibi desiderare; cum in potestate sua situm sit se emendare.*

1218 *Etiamsi peccatores magis seipsos diligant in ordine ad bona temporalia, quam iusti: simpliciter tamen dicendum est magis seipsos diligere iustos, quam peccatores seipsos diligant.*

1219 *Diligere inimicum inquantum inimicus est, est contra charitatem: diligere autem ipsum quatenus est proximus, est necessarium ad salutem: non tenemur autem in particulari diligere inimicum nisi in casu quo diligere tenemur alios proximos.*

1220 *De necessitate charitatis est secundum animi præparationem habere*

bere habituale propositum diligendi inimicum in singulari: si necessitas occurrerit, extra quam ipsum diligere est de perfectione charitatis.

1221 *Licet malum velle inimico ad proprium bonum seruandum, siuè æquale sit; siue maius malo inimici. Item si mereatur mortem iustam ex manibus iustitiæ, & malum temporale, vt auertatur à peccato: numquam tamen licet velle damnationem.*

1222 *Tenetur quilibet ad remittendum ex corde iniuriam; inimico petenti veniam significare se remittere; non petenti autem tenetur ex corde remittere; sed non tenetur id positiuè significare; sed tantum negatiuè.*

1223 *Quilibet tenetur exhibere inimico ea dilectionis signa, quorum negatio est signum odij, vel rancoris, siue in se, siue ex aliorum æstimatione.*

1224 *In charitate maior est ordo quàm in cæteris virtutibus Theologicis: est autem ordo primo, & principaliter in actu, secundario verò in habitu, quatenus habitus inclinat ad diligendũ magis hoc quàm illud.*

1225 *Non quodcumque magis diligimus appreciatiuè, magis diligimus intensiuè; nec econuerso; & ideo ordinem charitatis tenemur seruare in amore appreciatiuo; seruare autem in intensiuo est de perfectione charitatis.*

1226 *Ordo charitatis hic est, vt super omnia diligamus Deum appreciatiuè, tum quoad bona intrinseca, tum quoad extrinseca, vt adorari, diligi.*

1227 *Secundo loco debemus diligere nos ipsos quoad animam, & bona spiritualia, nempe quoad beatitudinem, gratiam, &c. tertiò loco proximum quoad animam, quarto loco corpus proprium, postremo corpus proximi.*

1228 *Non tenemur corporalem vitam exponere pro vita corporali amici: licet autem eam ponere pro eo, à quo pendet bonum Reipublicæ: item se exponere leui periculo ad saluandam vitam, vel famã, vel fortunas priuati hominis.*

1229 *Numquam licet seipsum occidere ad seruandam salutẽ, siuè corporalem, siuè spiritualem, siuè vnius hominis, siuè multorum, etiã totius mundi.*

Expo-

1230 *Exponere vitam corporalem pro vita corporali amici cæteris paribus, est licitum, & laudabile, & opus magni charitatis.*

1231 *In necessitate spirituali alterius, quilibet tenetur vitam corporalem exponere; si credat se posse subuenire: Prælatus autem tenetur subuenire subditis, etiam in graui necessitate ipsorum.*

1232 *Tàm secundum affectum, quàm secundum effectum in ordine ad idē bonum, tenemur magis diligere vnum proximum quā aliū; non tenemur autem, sed possumus velle maius bonum spirituale ijs, qui sunt magis ex charitate diligendi.*

1233 *Coniunctiores quouis genere coniunctionis etiam mali, sunt magis diligendi, etiam in ordine ad bona spiritualia, quàm boni extranei, vel minus coniuncti; nisi maxima sit improportio inter bonitatem, & coniunctionem.*

1234 *In extrema necessitate de præcepto tenemur potius subuenire coniunctiori quàm minus coniuncto: at verò extra illam, id quidem debemus; sed non tenemur seruare.*

1235 *Simpliciter, & in ordine ad bonum simpliciter magis diligendi sunt coniuncti carnaliter, quam coniuncti secundum ciuilem societatem; in ordine verò ad bonum proprium cuiusque societatis magis diligendi sunt coniunctiores secundum illam.*

1236 *Fieri potest vt ex varijs circunstantijs ita crescat beneficium ab extraneo nobis collatum, & ex altera parte ita extenuetur beneficium paternum; vt debeamus benefactorem patri carnali in amore præponere.*

1237 *In ordine ad bona naturalia simpliciter magis diligendi sunt coniuncti carnaliter, quàm spiritualiter: idem dicendum de dilectione quoad salutem spiritualem; nisi magna sit harum coniunctionum improportio.*

1238 *Magis diligendus est Christus Dominus, etiam vt homo, & post ipsum Sanctissima Virgo quàm proprij parentes: & magis pater, quàm mater: & vterque quàm filius, etiamsi nonnumquam hic postremus ordo peruertatur sine peccato mortali.*

1239 *Absolutè magis diligendi sunt parentes, & filij, quàm vxor, & benefactor, quàm beneficiatus saltem excellentiori quodam genere amoris: licet ex coniunctione sit ordo contrarius in dilectione*

1240 *Debemus diligere Deum vt est noster benefactor, etiam quoad benefi-*

beneficia externa: item ob beatitudinem æternam, quam ab ipso speramus: item orare, ieiunare, & alia signa dilectionis, & religionis præstare ob bona temporalia.

1241 *Licet diligere Deum ob aliud tanquã causam finalem obiecti actus dilectionis, & ob beatitudinem tanquam finem principalem ipsius actus: non tamen licet actum dilectionis Dei, aut alios actus habentes Deum pro immediatè obiecto referre ad bonum temporale tamquam finem principalem ipsorum actuum.*

1242 *Quamuis dilectio amici ratione obiecti melior sit dilectione inimici; tamen magis meritoria, & maioris perfectionis est dilectio inimici.*

1243 *In patria Deus magis diligetur super omnia tum intensiuè tum appreciatiuè, & minus coniuncti; sed meliores magis diligentur à nobis quàm nos ipsi quoad maiora bona.*

1244 *Etiamsi in hac vita non cognoscamus Deum immediatè; tamen amamus immediatè, & totaliter quantum est ex parte nostri, & eius dilectionis perfectus modus, nullus est modus.*

1245 *Regulariter loquendo qui continuat actum dilectionis per tempus aliquod notabile crescit in intensione charitatis.*

1246 *Quod si contingat, vel disputationis gratia, vel de facto quod aliquis homo continuet actum dilectionis per aliquod tempus cum eadem intensione actus cum qua cœpit, non erit maius augmentũ gratiæ quàm si exercuisset illum actum per vnicum instans.*

1247 *Actui charitatis prout exercetur in instanti non debetur præmium accidentale; sed totum est substantiale: continuationi vero actus tantum respondet præteritum accidentale.*

1248 *Charitatis, & gratiæ augmentum meretur homo per omnia opera aliarum virtutum moralium, siue infusarum, siue acquisitarũ dùm homo operatur illa ex actu charitatis dirigentis illa ad finem charitatis.*

1249 *Si aliquis existat in gratia habitualiter, & operetur actum bonum moralem bonitate qualis præscribitur, & regulatur à recta ratione naturali, & non referat illum actualiter, vel virtualiter in finem supernaturalem; non meretur per huiusmodi actũ bonũ augmentum charitatis, aut gratiæ, aut præmij essentialis.*

1250 *Per supradictum autem actum bonum moraliter meretur homo*

aliquod præmium accidentale, quod erit speciale gaudium in patria de exercitio huiusmodi actus.

1251 *Impossibile est dilectione ex charitate magis diligere creaturam quàm Deum non solum intensiue, sed etiam appreciatiuè.*

DE DIVINI VERBI INCARNATIONE.

1252 INCARNATIO *est vnio duarum naturarum in vna Christi Domini hypostasi, ita vt vnus, & idem Christus sit verus Deus, & verus homo, de quo potest haberi scientia, sed late sumpta.*

1253 *Huius diuinæ incarnationis mysterium quoad existentiam nō solum homines, verumetiam angelos lateret; nisi vtrisque diuinitus, & gratiosè reuelatum fuisset.*

1254 *Quo fit, vt spectet ad sacram Theologiam, & constituat habitum partialem non minus distinctum ab alijs sacræ Theologiæ partibus, quàm Physica, Metaphysica, & Mathematica inter sese.*

1255 *Tractatus illius ecclesiæ in vniuersali, necessarius est, estq; totus speculatiuus, & nullo modo practicus, maximequè Theologicus, quodcunque sit sacræ Theologiæ obiectum.*

1256 *Hæreticum est asserere situm esse in alicuius creaturæ potestate quæcumque illa sit, quotiescumque libuerit Deum fieri, idest Deo hypostaticè vniri.*

1257 *Hoc mysterium non esse impossibile, non modo fide credimus; sed etiam certo scimus: esse vero possibile probare efficaciter non possumus.*

1258 *Post primum primi parentis peccatum potuisset Deus deserere naturam humanam, & eam non liberare, nec à culpa, nec à pœna absque suæ iustitiæ præiudicio: æquum tamen fuit hominem redimi.*

1259 *Poterat Deus Opt. Max. redimere genus humanum sine Verbi incarnatione sola libera voluntate sua: hic tamen modus incarnationis est omni alio Deo gloriosior, & homini vtilior.*

1260 *Deus de potentia ordinaria non potest facere aliquid melius, & excellentius Christo Domino, nec potest eleuare naturam humanam ad*

nam ad

nam ad melius, & sublimius esse, quàm in hoc mysterio fuerit eleuata.

1261 *Potest tamen facere aliquid excellentius humanitate Christi cuiusmodi sunt Angeli, iuxta illud: Minuisti eum paulo minus ab Angelis.*

1262 *Filius Dei venit in mundum non solum vt quasi Magister, & Legislator, legem diuinam hominibus traderet verbo, & exemplo; sed etiam, vt redimeret genus humanum.*

1263 *Nulla creatura sine gratia Dei, aut medio supernaturali potest satisfacere pro peccato siue proprio, siue alieno, siue perfectè, siue imperfectè.*

1264 *Purus homo supposita diuina gratia potest satisfacere pro peccato siuè proprio, siue alieno, imperfecte tamen, non autem de rigore iustitiæ.*

1265 *Ad satisfactionem perfectam æquiualentem de perfecta, & rigorosa iustitia necessarius erat homo Deus, & hoc modo satisfecit Christus Dominus.*

1266 *Christus Dominus satisfecit ex iustitia propriè dicta non metaphorica, & quantum ad sufficientiam quidem satisfecit pro omnibus, & singulis hominibus, quantum verò ad efficaciam tantum pro prædestinatis.*

1267 *Fuitq; sufficiens, & perfecta satisfactio superans etiam omnia peccata, & debita omnium hominum: idque de rigore iustitiæ.*

1268 *Satisfecit autem Christus de rigorosa iustitia non si consideretur vt homo, hac enim ratione supponit gratiam, & beneficium; sed vt Deus.*

1269 *Ad tollendam in nos Dei indignationem, Dæmonum imperiũ, & originalis culpæ maculam, non potuit aptior incarnatione Dei modus excogitari.*

1270 *Satisfactio Christi Domini in genere entis fuit finita: in genere autem satisfactionis fuit infinita ratione suppositi infiniti à quo producebatur.*

1271 *Ad satisfactionem concurrit humanitas Christi Domini quoad substantiam, diuinum verò suppositum concurrit ad meritum.*

1272 *Secundum nostram imaginationem prius Deus vidit peccatum futurum, quàm Verbi incarnationem, licet quoad substantiam: & alia*

alia quæ non dependent à peccato potuisset prædestinare independenter ab illo.

1273 *Si peccatum nullum fuisset; Dei filius incarnatus nõ fuisset quãquam multæ sunt congruentiæ, quibus ostenditur, si id Deus fecisset, non frustra facturum fuisse.*

1274 *Christus Dominus venit non solum pro fidelibus, & pijs hominibus; sed etiam pro vniuerso genere hominum nemine prorsus excluso actu positiuo.*

1275 *Et quoad aliquos quidem effectus incarnatio Christi Domini æqualem habuit efficaciam circa omnes, & singulos homines, quoad præcipuos tamen, scilicet gratiæ, & gloriæ habuit efficaciam tantum circa prædestinatos.*

1276 *Christus Dominus meruit gratiam, & gloriam sufficienter, etiã damnatis, non autem Dæmonibus non ex defectu meriti; sed ex defectu intentionis: quare damnati habuerunt potentiam saltem remotam coniungendi se Christo; non autem Dæmones.*

1277 *Christus Dominus venit præcipuè, vt nos redimeret à peccato originali: secundario verò, vt redimeret ab actuali: quare etiam si nec Adam post primum peccatum, nec posteri actualiter peccassent; tamen Christum Dominum venturum fuisse arbitror.*

1278 *Si Adam non peccasset, potuissent quidem posteri peccare, quod si peccauissent, & eorũ ad posteros peccata non manassent, Christũ Dominum pro eorũ peccatis minimè venturũ fuisse probabilius est.*

1279 *Poterat Saluator mundi venire tum ante peccatum, tum immediatè post peccatum; maximè tamen conueniens fuit tempus quo venit: immo poterat absoiutè venire ante, vel post tempus à Prophetis reuelatum.*

1280 *Verbum diuinum non est vnitum naturæ humanæ per suam naturam, seu quidditatem; sed vnio est facta in persona seu in supposito, ita vt in Christo duæ sint naturæ suis distinctè proprietatibus citra confusionem aut commixtionem.*

1281 *Christus Dominus non componitur ex duabus naturis per accidens coeuntibus, neque refractis, aut alteratis, neque ex vna tamquam actu, altera tamquam potentia; sed diuino supposito seu hypostasi terminanti naturam humanam.*

1282 *Persona Christi Domini potest simpliciter dici personæ Dei & homi-*

hominis, & diuina; sed non potest simpliciter dici persona humana.

1283 *Diuinum suppositum quatenus vnitum naturæ humanæ facit compositionem ex supposito, & natura: suppositum autem ipsum seu subsistentia nulla ratione potest dici composita.*

1284 *Propter vnionem humanæ, & diuinæ naturæ in Christo merito ipse potest dici compositus omni imperfectione seclusa.*

1285 *Dicere compositionem Christi Domini ex humana, & diuina natura esse accidentalem, est hæreticum: non est autem ex genere, & differentia, nec ex materia & forma.*

1286 *Tantum abest vt Christus Dominus anima rationali caruerit; vt repugnet etiam diuinæ potentiæ absolutè supplere vicem animæ rationalis, siue per verbum, siue per quodcunque aliud creatum.*

1287 *Incarnatio vt dicit actionem totalem, plures in se complectitur actiones partiales.*

1288 *In incarnatione necesse est ponere terminum aliquem vnum, & realem: non est autem natura humana secundum existentiam, quàm habet à subsistentia verbi, neque sola relatio vnionis; sed est Deus homo, seu verbum caro, & terminus à quo est negatio.*

1289 *Ex quo quasi fundamento consurgit relatio, quæ in natura quidem humana est realis, & eam realiter denominat; in verbo autem est rationis, & ipsum denominat secundum rationem.*

1290 *Diuina & humana natura in Christo sunt aliud, & aliud; sed non sunt alius, & alius: ipse autem Christus est sub specie humana, & indiuiduum prædicamenti substantiæ.*

1291 *Natura humana est simplicior Christo, & verbo vt est caro factum, asserere autem Christum esse humanitatem, & diuinitatem est erroneum.*

1292 *Vnio incarnationis est relatio quædam creata, quæ consideratur inter diuinam humanamque naturam secundum quod conueniunt in vna hypostasi filij Dei.*

1293 *Vnitas personalis naturæ humanæ cum verbo est aliquid increatum, etiamsi cœperit communicari naturæ humanæ in tempore, nō per mutationem verbi, sed per mutationē naturæ humanæ, quæ suscepit illud esse.*

1294 *Vnio verbi, et naturæ humanæ in Christo Dño est relatio; cū tamē Deus, et homo nō sint vniti per aliquid respectiuū, sed absolutū.*

Secun-

1295 *Secundum fidem catholicam credendum est terminũ assumptionis esse aliquid absolutum non respectiuum, & per ipsam assumptionem acquiritur de nouo Deum esse hominem, & ipsa humanitas, non tamen Deitas.*

1296 *Deum esse hominem, neque est Deus absolutè, neque homo absolutè; sed tertia entitas ab ipsis non realiter, sed formaliter distincta: terminus assumptionis non dicitur assumptus: sicut neque terminus vnionis dicitur vnitus: cum tamen vniens dicatur vnitum: at vero assumens non dicatur assumptum: ex quo, & alijs etiam nominibus differunt vnio, & assumptio.*

1297 *Deum fieri hominem non est fieri, aut causari, neque facere, vel causare; sed est terminare, & suppositare naturam humanam, quod fit à solo verbo: cetera enim quæ incarnationi præuia sunt, fiunt à tota Trinitate.*

1298 *Vnio hypostatica est maxima vnionum ex parte personæ in qua duæ naturæ copulantur: non tamen ex parte rerum quæ vniuntur.*

1299 *Certissimum est secundum fidem nulla Christi Domini merita potuisse præcedere eius incarnationem, neque Angelorum aut hominum quispiam eam meruit de condigno: de congruo autem meruerunt Sancti Patres Veteris legis quoad circumstantias quasdam.*

1300 *De Dei absoluta potestate potuisset purus homo in gratia Dei existens mereri de condigno incarnationem filij Dei, aut patris, aut Spiritus sancti, aut omnium.*

1301 *De lege autem ordinaria non modo purus homo; sed nulla pura creatura etiam in gratia Dei existens diuinam humanationem mereri potuit.*

1302 *Gratia vnionis, vel habitualis Christi Domini non fuit ipsi naturalis quasi profluens ex principijs naturæ humanæ; sed quia fuit illi data à natiuitate, & quia habet diuinitatem.*

1303 *Proprijssimè conuenit diuinæ personæ assumere naturam creatam, & ob eius infinitatem proprium est vt in ipsa fiat concursus duarum naturarum secundum subsistentiam.*

1304 *Diuina etiam natura potest assumere, qua ratione dicitur incarnata, non tamen ita propriè sicut persona, quia persona est principium, & terminus assumptionis, natura verò est tantum principium illius.*

Abstra-

1305 *Abstractis per intellectum tribus personalitatibus, dicẽdum est potuisse naturam diuinam assumere humanã, & tunc vnionem faciendam fuisse, non secundum naturam; sed in vna personalitate secundum nostrum intellectum ad quam terminaretur assumptio.*

1306 *Personæ potuissent assumere tres naturas, vel vnam tantum, et in primo casu fuissent tres homines, in secundo vero vnus homo simpliciter.*

1307 *Potuisset Deus sicut assumpsit naturam humanam, ita assumere quamcunque aliam naturam creatam; etiam Angelos assumendo eorum essentiam, & naturam sine eorum supposito.*

1308 *Etiamsi Deus assumpsisset naturam Diaboli, vel peccatoris quod facere potuit, non tamen proinde fuisset Diabolus, vel peccator; sed solum fuisset Angelus, vel homo: assumpsisset enim naturam, non culpam, & tunc Angelus non desiuisset esse per annihilationẽ*

1309 *Si Deus assumpsisset naturam albedinis non fuisset albedo; sed fuisset albus: nihil autem indignum passus esset si naturam irrationalem assumpsisset.*

1310 *Hypostatica vnio præstantior est vnione per gratiam, & vnione, quæ est inter Deum, & beatos in visione beatifica; maioremquè gratiam contulit nobis Deus hominem se faciendo, quàm se dando in Eucharistiæ sacramento.*

1311 *Verbum diuinum non assumpsit humanam personam; sed naturam: ipsa autem natura abstrahendo à personalitate verbi inclinat in propriam personalitatem, sicut inclinaret si dimitteretur à verbo, sed prout nunc est vnita verbo, non inclinat in eam.*

1312 *Natura habet causalitatem aliquam erga personalitatem creatam, non increatam: & personalitas siue creata, siue increata habet causalitatem aliquam erga naturam.*

1313 *Si verbum dimitteret naturam humanam, illa explicaret se in propriam personalitatem absque vlla actione de nouo, sicut lapis remoto obstaculo tendit ad centrum.*

1314 *Etiamsi Christus Dominus sit persona humana eiusdẽ rationis cum alijs personis humanis; nihilominus tamen ratio personæ absolutè, et in causa non est eiusdẽ rationis in Christo, et alijs hominibus.*

1315 *Deus potuit assumere naturam cuiuslibet hominis viuentis, ita tamen, vt ante destitueretur persona præexistens: si enim permaneret*

neret non saluaretur ratio vnionis hipostaticæ.

1316 *Filius Dei debuit, sicut etiam fecit assumere naturam humanam in athomo, non autẽ in omnibus indiuiduis, & hanc ex stirpe Adæ*

1317 *Sanguis in Christo Domino fuit vnitus verbo diuino hypostatice, licet autem ipse sanguis non esset pars humanæ naturæ, & haberet formam distinctam, non tamen cogimur dicere assumpsisse duas naturas.*

1318 *Eadem ratione licet filius Dei in triduo mortis assumpserit naturam cadaueris; assumpsit tamen non per se, sed consecutiuè vnde eam dimisit.*

1319 *Licet sanguis vnitus diuinitati esset suppositum, & natura distincta: non tamen compellimur confiteri illum sanguinem esse Deum; idem dicendum de anima, & corpore vnitis diuinitati in triduo mortis.*

1320 *Ex eo quod sanguis esset vnitus diuinitati, non sequitur totum sanguinem vnitum fuisse diuinitati post resurrectionem.*

1321 *Secundum ordinem temporis in mysterio incarnationis non existit aliquod medium, quia tota natura humana verbo vnita fuit in instanti: Assumpsit autem carnem mediante anima, tum secundũ ordinem dignitatis, tum secundum ordinem causalitatis quantum ad fieri, non quantum ad esse.*

1322 *Verbum assumpsit animam mediante mente ob dignitatem, & congruentiam; dicere autem prius tempore assumptam fuisse animam quàm carnem est hæreticum: sicut etiam dicere prius fuisse à verbo carnem assumptam, quam anima vnitam.*

1323 *Simpliciter, & absolutè vnio diuinarum personarum in vna natura est omnium maxima, & ideo superat vnionem hypostaticam quæ est in Christo, quamquam hoc superat dignitate omnes vniones creatas.*

1324 *Humanitas in Christo habet propriã, & creatam existentiam, & videtur non posse existere existentia verbi, tum ex parte ipsius naturæ, tum ex parte verbi.*

1325 *Existentia naturæ humanæ in Christo non habuit omne suum complementum, & perfectionem; quia caret perfectione subsistentiæ, quæ propriè conuenit substantiæ.*

1326 *Nullo modo dicendum est essentiam esse rationem terminandi assum-*

assumptionem; sed necesse est dicere rationem terminandi formaliter esse aliquam proprietatem personalem filij.

1327 *Nulla creatura naturaliter potest alienam suppositare naturam; quo fit, vt longe à veritate aberrent, qui existimarunt Isaach, & Iacob fuisse Angelos incarnatos, & qui putant Antichristum fore Diabolum incarnatum.*

1328 *Si suppositum distinguitur realiter à natura, vt res à re; nulla est implicantia quominus possit alienum suppositum creatum, alienam suppositare naturam.*

1329 *Si verò suppositum non distinguitur à natura nisi vt modus à re, cuius est modus; dicendum est ad huc posse ab ea separari, & alienam naturam suppositare per diuinam potentiam.*

1330 *Natura diuina, vt nudè concipitur sub conceptu essentiæ, sine subsistentia, nō potest terminare naturam humunā: potest autem, vt concipitur subsistens abstractis personalitatibus.*

1331 *Si subsistentia sumatur pro actu substantiæ; videtur necessario dicendum dari communem, & absolutam subsistentiam, quæ sit perfectè singularis, & integra naturæ subsistentis, ex qua non modo dicitur vna diuinitas; sed vnus Deus, & vnus habens Deitatem communicabiliter quidem; sed singulariter.*

1332 *Implicat quod tres diuinæ personæ assumant eandem numero naturam ad vnionem hypostaticam, seu substantialem: Quod autem tres personæ eandem assumere naturam possint; nulla est implicatio*

1333 *Si vna persona plures assumpsisset humanitates; esset vnus homo habens plura corpora, & plures animas, & secundum vnam potuisset esse verbi gratia Ioannes, & secundum alteram Christus, secundum vnam mortuus, secundum aliam viuus.*

1334 *Tunc vera esset prædicatio, Ioannes est Christus: & ita si idem verbum assumpsisset naturam Petri, & Angeli; verum esset dicere Petrum esse hominem, & Angelum.*

1335 *Potuisset verbum assumere animam sine corpore; vel corpus sine anima: & tunc fuisset homo per synecdochen.*

1336 *Potuisset etiam assumere materiam primam solam, solam formam substantialem corruptibilem, item accidentia non modo in subiecto; sed etiam in se.*

1337 *Si verbum assumpsisset accidentia in se, non potuisset ipsa hy-*

Q *postaticè*

postaticè assumere, vnde non fuisset communicatio idiomatum directè, nec in abstracto, nec in concreto; sed in obliquo.

1338 *Natura humana à singularibus auulsa eo modo, quo referente Aristotele posuit ideas Plato, inassumpsibilis est: potuit tamen assumi eo modo quo est in idea diuina; sed non vt est species, & natura specifica, logicè loquendo.*

1339 *Certa fide credendum est corpus Christi fuisse verum corpus non cœleste, sed compositum ex quatuor elementis, & eiusdem rationis cum nostro.*

1340 *Eadem fide credendum est humanitatem Christi certum sibi locū postulasse, nec posse vbique esse, & accepisse Christum optimam, perfectamque corporis dispositionem.*

1341 *Non assumpsit autem vnam ex quatuor complexionibus enumeratis à phylosophis; sed ex ijs optimum delibauit: ita vt eius temperamentum esset ex omnibus optimum; ratione cuius habuit eximiā quandam speciem, & pulchritudinem.*

1342 *Assumpsit etiam omnes facultates animæ vegetatiuæ, & famem, & sitim passus est, voluntariè tamen: poterat enim non pati si voluisset: eius autem corpus tametsi non haberet principium intrinsecum ægritudinis, erat tamen naturaliter passibile, & mortale, & de facto post multam ætatem naturaliter interijsset per resolutionem, nisi mors violenta allata fuisset.*

1343 *Assumpsit etiam omnes sensus tam interiores, quàm exteriores, eosque perfectissimos, vnde habuit passiones, seclusis imperfectionibus, quæ proinde meritò à Hieronymo dicuntur propassiones: nullo tamen modo contraxit fomitem.*

1344 *Christus Dominus ratione humanitatis assumpsit motum localem, & quæ ipsum consequuntur, non tamen concedo hanc propositionem, verbum mouetur, nec per accidens quidem, nec ratione communicationis idiomatum.*

1345 *Christus assumpsit voluntatem humanā, appetitum rationalē, & sensitiuum sine deformitate, habuitquè operationes humanas, & diuinas inter se distinctas: eius autem voluntas efficax, & absoluta fuit totaliter conformis voluntati diuinæ, etiam in materiali volito: quoad actus autem inefficaces potuit dissentire à Deo in volito materiali.*

Voluntas

1346 *Voluntas creata Christi fuit propriè & verè capax præcepti: qua ratione fuit subiectus legi æternæ, & naturali, consequenter legi Decalogi, quatenus continet præcepta naturalia.*

1347 *Christus Dominus nulli legi humanæ, neque vlli legi positiuæ fuit subiectus, etiamsi vniuersaliter omnes obligaret, siue esset Mosaica, siue Euangelica.*

1348 *Voluntas creata Christi fuit capax præcepti positiui; quod illi peculiaiter impositum est à patre, nimirum prædicandi Euangelium, redimendi genus hominum satisfaciendi pro illis.*

1349 *Voluntas Christi Domini habuit libertatem quoad substantiam in bonis operationibus, in ordine autem ad actiones præceptorum lege naturæ non habuit perfectam libertatem contradictionis, quia erant necessariæ posita vnione hypostatica.*

1350 *Ratione præcepti positiui redimendi genus humanum & subeundi mortem pro illo habuit libertatem, quatenus id facere voluisset: etiamsi sibi præceptum non fuisset, & quatenus fecit cum intensiori amore quàm teneretur.*

1351 *Christus Dominus caruit omni peccato tum originali tum actuali: originali quidē, quia non fuit conceptus ex semine Adæ; actuali autem propter vnionem hypostaticam.*

1352 *In conceptione Christi transmißio sanguinis ad locum generationis facta fuit in tempore: at cum primum* BEATA VIRGO *præbuit consensum, in instanti materia illa sanguinis præparata est vi Spiritus sancti, fuit organizata, & disposita in quantitate necessaria ad animam recipiendam, & in eodem instanti infusa est anima, & facta vnio.*

1353 *Ordine intensionis prius assumptum est totum, quàm partes; ordine executionis, prius partes quàm totum, & sic sunt medium: potuit autem dissolui totum non dissolutis partibus, vt accidit in triduo mortis.*

1354 *Ante omnem gratiam creatam, & omne donum intelligimus animam Christi Domini esse infinitè gratam Deo, & seclusa quacunque gratia creata; non potest anima Christi non esse grata, & accepta Deo: vnde etiamsi ea careret, tamen eius operationes essent infinitè meritoriæ.*

1355 *Seclusa gratia creata, potuisset anima Christi ordinari ad glo-*

riam: illam autem habere de facto, catholica fide constat.

1356 *In Christo Domino fuerunt ab instanti suæ conceptionis habitus infusi virtutum moralium, & intellectualium tum infusorum, tum acquisitorum, quæ quidem non repugnēt dignitati Christi, qui fuerunt necessarij ad tribuendum esse formale illarum virtutum.*

1357 *In Christo actus virtutum non potuerunt intendere habitus; sed tantum ponere maiorem facilitatem in corpore: habuit autem præterea etiam habitus qui sunt circa passiones secundum statum perfectum excludentem omnem passionem.*

1358 *In Christo Domino non fuit fides, vt dicit obscuritatem; sed vt dicit fidelitatem, & veracitatem, nec spes in ordine ad beatitudinem; sed in ordine ad glorificationem corporis.*

1359 *Habuit præterea omnes gratias gratis datas spectātes ad cognitionem, nempe prophetiam, discretionem spirituum, interpretationum sermonum, sensum scripturarum, & gratias sermonis, scilicet sermonem sapientiæ, sermonem scientiæ, donum linguarum, & hæc permanenter, quod non est concessum prophetis.*

1360 *Habuit etiam speciali modo omnes gratias consistentes in operatione, scilicet gratiam sanitatum, & operationum virtutum, quæ omnia fuerunt illi concessa diuinitus.*

1361 *Ex quo apparet prorsus reijciendos esse asserentes Christum Dominum arte Magica, vel Astronomia, vel qualitate corporea miracula patrasse: fuit enim tantum humanitas ipsa per potentiam obedientialem à Deo ad quemcunque miraculosum effectum producendum eleuata.*

1362 *Hæc virtus concurrebat ad miracula, vt instrumentum verbi per modum agentis physici; & nūc est in ipsius humanitate, & potest ab eo creaturæ communicari non modo quoad effectum; sed etiā quoad modum.*

1363 *Gratia Christi Domini secundū esse Physicū est eiusdē rationis cū gratia quā habent iusti: in ipso tamen fuit plenitudo gratiæ qualis nec fuit, nec esse potest in vlla creatura de potentia ordinaria.*

1364 *Gratia Christi Domini secundum acceptationem, & secundum suppositum, & meritum potest dici infinita; at verò secundum esse Physicum, nullo modo dicitur esse infinita: dicitur tamen summa de potentia: & lege Dei ordinaria.*

Gratia

1365 *Gratia Christi habitualis non præcessit vnionem tamquam dispositio necessaria, neque fluit naturaliter ab vnione tamquam à diuino supposito; cum tamen possit dici naturaliter Christi hominis.*

1366 *Gratia Christi dicitur prima omnium gratiarum ordine dignitatis, & causalitatis: & ideo Christus dicitur caput omnium prædestinatorum,*

1367 *Gratia Christi habet omnimodam perfectionem, & propterea maximè spectat ad gratiam capitis non solum intensiuè, & intrinsecè; sed etiam extensiuè, & extrinsecè in ordine ad alios.*

1368 *Influxus gratiæ Christi Domini non videtur spectare ad gratiam sanctificantem Angelos: vnde Christus non est mortuus pro Angelis, nec pro Dæmonibus; cum tamen dicatur illorum caput: quia in illos influxit illuminationes, & gaudia accidentalia.*

1369 *Christi gratia est causa vniuersalis physicè influens in gratiam iustificantem, & alia dona, quæ conferuntur post incarnationem: moralis verò gratiæ sanctorum Patrum, qui illam præcesserunt, non tamen per modum impetrationis.*

1370 *Scientia quæ formaliter est in Deo, non potest communicari creaturæ; vnde Christus in quantum homo non habet scientiam diuinam.*

1371 *Christus Dominus ab instanti conceptionis suæ habuit scientiam beatorum, ac proinde fuit comprehensor: præter hanc, est alia scientia ex suo genere infusa.*

1372 *Christus Dominus est caput omnium hominum tum quoad diuinitatem, tum quoad humanitatem, & quantum ad corpus, & quantum ad animam influendo dona sua in nos & quoad corpus, & quoad animam.*

1373 *Gratia Christi Domini secundum quod est caput, est eiusdem rationis cum gratia ipsius in quantum est singularis homo.*

1374 *Esse caput Ecclesiæ propria auctoritate secundum omnem locum, tempus, & statum, est proprium Christi; esse autem caput secundum omnem locum, sed non secundum omne tempus & statum; est proprium summi Pontificis: at esse caput secundum aliquem locum; est Prælatorum.*

1375 *Caput dicit tria, ordinem, perfectionem, & virtutem influendi: omnibus his modis Diabolus dicitur caput omnium malorum, se-*

cundo

cundo verò modo Antichristus dicitur caput omnium malorum.

1376 *Anima Christi non comprahendit verbum per suam cognitionem, cognoscit autem in ipso omnia quæ videt scientia visionis, non tamen omnia quæ videt scientia simplicis intelligentiæ; & quantumuis hæc cognouissent verbum; tamen non comprahendet.*

1377 *Anima Christi cognouit in verbo infinita non actu; sed potentia: vidit autem ipsum clarius quacumque alia creatura.*

1378 *Christus Dominus per scientiam infusam omnia etiam in singulari cognoscit: cognoscit autem quæcumquè videt verbum scientia visionis præter diuinam essentiam.*

1379 *Anima Christi secundum hanc scientiam poterat intelligere sine conuersione ad phantasmata prout volebat.*

1380 *Eadem scientia ex ratione suæ speciei non habet discursum; sed omnia simplici intelligentia repræsentabat: tamen si quando volebat discurrebat, non deueniendo in cognitionem ignoti ex cognito; sed tantum quod verum est concludendo.*

1381 *Hæc ipsa scientia fuit in Christo multo excellentior quàm scientia angelorum quantum ad id quod se tenet ex parte Dei influentis, quantum ad multitudinem cognitorum, & claritatem cognitionis: quantum verò ad modum cognoscendi ex parte subiecti, est imperfectior illa.*

1382 *Christus Dominus per scientiam acquisitam sciuit omnia quæ illustrari possunt lumine intellectus agentis; non tamen omnia simpliciter: non enim sicut essentias substantiarum separatarum, nec singularia præterita, præsentia futura.*

1383 *In hac scientia ipse profecit secundum experientiam, nec secundum hanc scientiam nihil vnquam didicit, nec ab homine, nec ab Angelis.*

1384 *Christi anima non habet omnipotentiam simpliciter, vt talis est: immo nec habet potentiam instrumentalem annihilandi, aut creandi.*

1385 *Habuit tamen anima Christi secundum propriam naturam potentiam ad faciendos illos effectus, vt est corporis gubernatio, & regimen.*

1386 *Et vt instrumentum coniunctum diuini suppositi habuit instrumentalem virtutem ad omnes mutationes miraculosas ordinabiles*

ad finem

ad finem incarnationis, qui est omnia instaurare, siue quæ in cælis, siue quæ in terris.

1387 *Anima Christi Domini secundum propriam virtutem: non habuit omnipotentiam respectu proprij corporis; sed ratione diuini suppositi.*

1388 *Quicquid Christus voluit per se adimplendum, potuit propria virtute, vel naturali, vel gratuita: quicquid verò voluit faciendum, diuina virtute potuit facere instrumentaliter, vt instrumentum verbi diuini.*

1389 *In Christo, nec fuit, nec potuit esse peccatum, nec vt in Deo, nec vt in homine: si tamen per impossibile natura humana peccasset, actus peccati supposito tribuendus esset.*

1390 *Ei soli ablatus est fomes (Beatissimam* VIRGINEM *semper excipio) alijs verò sanctis viris quantumuis hæroicis virtutibus claruerint; ablatum non esse planè sentio.*

1391 *Christus Dominus non habuit ignorantiam earum rerum, quæ ad suum statum, & conditionem pertinent, quia venit illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis sedent.*

1392 *Non potuit etiam de potentia Dei habere ignorantiam, aut errorem positiuum, nec practicum, nec speculatiuum, nec culpabilem, nec inculpabilem.*

1393 *Anima Christi Domini fuit passibilis passione corporali: immo etiam animali: quæ tamen passiones differebant à passionibus nostris, quantum ad obiectum, principium, & effectum.*

1394 *Christum Dominum habuisse sensibilem appetitum constat ex illo, quia dolores nostros ipse tulit: est autem dolor non in membro læso; sed in appetitu sensitiuo tanquam in subiecto.*

1395 *Verus dolor à sola imaginatione mali præsentis proficisci non potest, sed tunc est tristitia: ad ipsum autem requiritur læsio realis.*

1396 *Fuit etiam in Christo tristitia, & timor quantum ad motum appetitus sensitiui ex malo futuro appræhenso, non tamen secundum incertitudinem futuri euentus: hunc autem timorem magis propriè possumus dicere pauorem.*

1397 *Præterea fuit in ipso admiratio orta ex ignorantia opposita scientiæ experimentali, & ira per zelum secundum ordinem iustitiæ.*

1398 *Hæc propositio, Deus est homo, vera est: ita vt Deus supponat*

pro filio, homo pro vero homine, & est in materia necessaria: eodem modo vera est hæc propositio, homo est Deus.

1399 *Nomina concreta significantia naturas vt Deus, homo, vel proprietates naturaliũ, vt æternus tẽporaneus, vel actiones, vt creat, gubernat, vel passiones vt crucifigatur, transfigitur; reciprocè prædicantur.*

1400 *Quæ vero in ipso Domino sunt vnius naturæ non prædicantur de altera in abstracto significata: nomen autem abstractum naturæ diuinæ significans naturam diuinam, vel eius proprietatem, sicut prædicatur de verbo; ita prædicatur de filio hominis in concreto: & ideo rectè dicimus filius hominis homo, Christus est Deitas, immortalitas, æternitas.*

1401 *Abstractum nomen naturæ humanæ nõ prædicatur de filio Dei, nec de filio hominis, etiam in concreto non solum formaliter, sed nec identicè quidem: vnde falsa hæc propositio, filius Dei, aut filius hominis, siuè Christus est humanitas.*

1402 *Idiomatum communicatio, & proprietatum non in hoc consistit quod quicquid conuenit naturæ humanæ, conueniat hypostasi diuinæ; sed in hoc quod quicquid conuenit homini, conuenit personæ diuinæ.*

1403 *Vera est hæc præpositio, Deus factus est homo; sed hæc propositio homo factus est Deus, simpliciter falsa est; nisi exponatur factum est, vt homo esset Deus.*

1404 *Item falsa est hæc propositio, Christus, vel homo iste est recens: cum vera sit hæc, Deus recenter factus est homo*

1405 *Absolutè non est dicendum, Christus est creatura; sed ponenda est limitatio, hoc est per synecdochen secundum humanam naturam*

1406 *Ea quæ sunt naturæ humanæ; de quibus dubitari non potest an conueniant personæ diuinæ secundum seipsam, possunt simpliciter asseri de Christo, vt Christum esse passum, mortuum.*

1407 *Ea verò de quibus dubitari potest an illi conueniant ratione humanæ naturæ, an verò ratione diuini suppositi, debent asseri de Christo, cum determinatione secundum humanam naturam.*

1408 *Falsa est simpliciter hæc, iste homo, demonstrato Christo, cœpit esse, quia homo supponit pro supposito verbi æterno.*

1409 *Vera est ista, Christus secundum naturam humanam est creatura, fal-*

ra, falsa hæc Christus secundum quod homo est creatura, & hæc, Christus secundum quod hic homo est creatura.

1410 *Falsa est hæc, Christus secundum quod homo est Deus; sed vera est hæc, Christus secundum quod hic homo est Deus.*

1411 *Hæc propositio, Christus secundum quod homo est hypostasis, vel persona, si homo reduplicat suppositum vera est, si homo reduplicat naturam falsa est, simpliciter autem neganda est potius.*

1412 *Hæc propritio, Christus secundum quod hic homo est hypostasis, est concedenda potius, quàm neganda, quia homo supponit pro supposito.*

1413 *Falsa est hæc propositio, Christus est tantum, vel solum homo, vel est tantum, vel solum Deus: vera est hæc, Christus est tantum id quod est homo, & id quod est Deus: vel is tantum, qui est homo, vel is, qui est Deus.*

1414 *Catholica fide constat in Christo Domino duas esse voluntates, alteram diuinam, alteram humanam, & hanc illi fuisse subiectam atque conformem.*

1415 *Sensualitatem etiam, seu sensitiuum appetitum habuit: ratione cuius dixit Tristis est anima mea vsque ad mortem; qui in omnibus fuit conformis rationi: vnde excludimus ab ipso primos motus inde liberatos.*

1416 *Vnus est habitus scientiæ Christi Domini, cuius actum, vel actus etiamsi non penderet, vel dependeret à phantasmate: semper etiam in somnis exercuit.*

1417 *Lumen sciẽtiæ infusæ in Christo Domino, distinguitur essentialiter à lumine gloriæ: est autem eiusdem rationis cum lumine prophetico perfectissimo, nisi quod lumen propheticum est per modum transeuntis, hoc verò per modum permanentis.*

1418 *Nullo modo existimandum est communicationem idiomatum positam esse in reali communicatione diuinorum attributorum: necesse est tamen admittere in Christo aliquam communicationẽ idiomatum propter vnitatem suppositi.*

1419 *Propositio hæc, Deus est passus carne, vel per carnem, vera est, sed falsa hæc, Diuinitas est passa in carne, vel per carnem.*

1420 *Admitto hanc, Christus est diuinitas in sensu identico non formali, si Christus supponat pro supposito verbi: non tamen omnia,*

quæ sunt in Christo sunt diuinitas: contra falsa est hæc, caro, vel anima Christi est diuinitas.

1421 *Damnata est hæc propositio, Diuinitas passa est, mortua est; sed Catholica hæc, Diuinitas est incarnata.*

1422 *Hæc propositio, Deus est homo, si Deus supponat pro supposito verbi non quocunque tempore, sed post incarnationem; est in materia naturali, & necessaria.*

1423 *Eadem propositio reduplicatiuè sumpta non est concedenda: eo autem modo, quo conceditur est per se ad eum modum quo forma prædicatur de suo supposito, vt filius, est Deus.*

1424 *Hæc propositio, Homo factus est Deus, si in ea homo supponat pro homine subsistente, falsa est, & hæretica: est autem in ipsa suppositio, non simplex, sed personalis.*

1425 *Omnes Christi Domini operationes fuerunt humanæ scilicet intelligere, velle, imaginari, sentire, tendere deorsum præ corporis grauitate: quæ tamen, præter tres primas, in cæteris hominibus non sunt humanæ.*

1426 *Christus Dominus habuit per meritum, quicquid habuit per meritum quilibet alius homo: dummodo carentia illius non dicat imperfectionem in ipso.*

1427 *Vnde Christus sibi non meruit gratiam neque scientiam, neque beatitudinem animæ, nec diuinitatem, quia si hæc meruisset, illis caruisset, quod derogat eius excellentiæ.*

1428 *Christus Dominus meruit sibi gloriam corporis, & ea, quæ spectant ad exteriorem excellentiam, vt resurrectio, ascensio, & similia, quibus certum est ipsum aliquando caruisse.*

1429 *Meritum Christi Domini se extendit ad alios prout sunt eius membra: nam in ipso fuit gratia non solum vt in homine singulari; sed etiam vt in capite totius Ecclesiæ.*

1430 *Meritum Christi Domini fuit perfectæ iustitiæ qualis esse potest inter Deum, & hominem: non potuit autem mereri actione diuina, nec potuisset humana, si illa libera non fuisset.*

1431 *Nullo modo dicendum est Christum Dominum meruisse formaliter per actiones partis sensitiuæ: materialiter autem potuit, quatenus illæ actiones erant imperatæ à voluntate.*

1432 *Christus non meruit per actiones partis inferioris animæ rationalis,*

ualis, neque per actus amoris beatificat; sed per proprios actus tanquam viatoris.

1433 *Meritum Christi fuit vnica actio, cuius principium fuit oblatio Christi sui ipsius ad patrem in instanti conceptionis, quo meruit quicquid meruit continuatè non solum moraliter; sed etiam physicè vsque ad mortem.*

1434 *Christus non meruit nobis nostram salutem per mortem suam, nisi quatenus præuisam, & præuolitam, & oblatam Deo patri, & quatenus dicit vnam passionem cum passione mortẽ antecedẽte.*

1435 *Christus Dominus per resurrectionem, & ascensionem non meruit, ipsæ tamen fuerunt causa exemplaris nostræ resurrectionis, & glorificationis.*

1436 *Non est dicendum actiones Christi Domini fuisse ab ipso ordinatas, & à patre acceptas in ordine ad præmium infinitum.*

1437 *Meritum Christi Domini entitatiuè fuit finitum: quatenus verò manabat à diuino supposito potest dici infinitum, non solum omnibus actionibus Christi collectiuè sumptis, verum etiam singulis.*

1438 *Meritum Christi fuit infinitũ sicut est omnipotentia Dei: quia neutrum illorum habet obiectum suum adæquatũ sibi corrispondẽs.*

1439 *Omnes actiones Christi Domini siue naturales, siue supernaturales fuerunt meritoriæ: meruit igitur Christus, etiam dormiendo.*

1440 *Christus non meruit sibi prædestinationem suæ incarnationis, nec mereri potuit etiam de potentia Dei absoluta.*

1441 *Potuit sine dubio Christus Dominus mereri sibi continuationem incarnationis, posita ipsa incarnatione, sicuti iusti merentur augmentum gratiæ.*

1442 *Si loquamur de possibili, potuit Christus Dominus in eodem instanti conceptionis habere gratiam, & gloriam, ita vt meritum sit tantum natura prius, quam præmium.*

1443 *Quamtumuis Christus aliquid sibi meruerit, & omnem mercedem sibi fecerit debitam de rigore iustitiæ; tamen non dicitur pro se satisfecisse.*

1444 *Christus Dominus non satisfecit immediate pro culpa nostra, ita vt fecerit remissionem culpæ nobis ex iustitia debitam absque vllo opere nostro: & oppositum sentire est hæreticum.*

1445 *Satisfactio Christi est infinita non solum ratione suppositi; sed etiam ratione operis exerciti, dicitur habere quandam infinitatē saltem negatiuam.*

1446 *Si subiectio consideretur secundum diuersitatem suppositorum, hæreticum est dicere Christum sibi ipsi fuisse subiectum.*

1447 *Si verò subiectio consideretur secundum diuersitatem naturarum; vera est hæc propositio, Christus est sibi ipsi subiectus.*

1448 *Christus Dominus dicitur subiectus, & seruus patris tripliciter: secundum bonitatem, secundum seruitutem, & secundum obedientiam.*

1449 *Christus orauit patrem non voluntate diuina; sed humana, non secundum diuinitatem; sed secundum humanitatem: personæ enim diuinæ non possunt se inuicem orare.*

1450 *Oratio eius ab oratione nostra differebat primum, quia ipse orabat ad alienum exemplum, nos ad propriam vtilitatem: deinde quia eius oratio efficax semper adimpletur: nostra vero non semper.*

1451 *Christus non orauit secundum sensualitatem, ita vt ipsa oratio esset actus elicitus sensualitatis: dicitur tamen orasse secundum sensualitatem, prout oratio eius orando expreßit affectum sensualitatis ad nostram instructionem.*

1452 *Periculosum esset negare orationes quas Christus, & sancti beati effundunt, prodesse animabus existentibus in purgatorio.*

1453 *Christus Dominus fuit Sacerdos, & Rex, & Legislator: fuit autem Sacerdos proprie quidem, non tamen Leuiticus, aut ex ordine Aaronico; sed secundum ordinem Melchisedech.*

1454 *Non est dicendum Christum fuisse Sacerdotem secundum diuinitatem, & victimam secundum humanitatem.*

1455 *Postquam ascendit in cœlum orauit, orat, & orabit pro nobis vsque ad diem iudicij, non solum repræsentando patri suas actiones meritorias, quas fecit in hac vita; sed etiam preces offerendo, non tamen flendo, nec quicquam indignum beatitudine faciendo.*

1456 *Martyrum paßiones non habent rationem sacrificij sicut paßio Christi Domini: sciendum autem est iure diuino, & naturali prohibitum esse immolare homines.*

1457 *Christus Dominus recepit aliquos effectus sui sacerdotij, scilicet gloriam resurrectionis, vel certe secundum corpus suum mysticum.*

Christus

1458 *Christus absolutè dicendus est filius naturalis Dei, non adoptiuus, immo etiam, vt homo iustus, non est absolutè dicendus filius adoptiuus.*

1459 *Si quis tamen rectè distinguat ea quæ in Christo sunt, potest verè dicere Christum, vt hominem esse filium Dei adoptiuum, quatenus filiationem, quam habet, siue ratione gratiæ vnionis, siue ratione gratiæ infusæ, habet à gratuita Dei voluntate.*

1460 *Christus Dominus simpliciter, & absolutè potest dici prædestinatus, & in quantum homo potest dici prædestinatus, tum in ordine ad gratiam, tum in ordine ad gloriam.*

1461 *Non potest absolutè dici, filius Dei est destinatus, aut prædestinatus; sed rectè dicimus prædestinatũ est, vt filius Dei fieret homo.*

1462 *Deum sibi adoptare creaturas in filios, catholica fide credendum est, & hanc esse veram adoptionem indubitanter tenendum est.*

1463 *Adoptare, conuenire toti Trinitati de fide est, appropriatur tamẽ primæ personæ: vnde dicimur fratres, & filij Christi.*

1464 *Adoptari, est proprium creaturæ rationalis, & hoc per gratiam, & charitatem, & inde Angeli dicuntur filij Dei.*

1465 *Patres veteris testamenti qui Deo placuerunt, fuisse verè, & propriè filios Dei adoptiuos, Catholica fides docet.*

1466 *Iusti, & sancti legis Euangelicæ perfectiori, & excellentiori modo adepti sunt filiationem Dei adoptiuam, quam patres veteris testamenti; etiam stante æquali sanctitate, & iustitia.*

1467 *Quamuis patres veteris testamenti verè, & propriè fuerint filij adoptiui Dei; dicuntur tamen per tropum, & figuram ad nos comparati.*

1468 *Dicere præscitos, & reprobos in gratia existentes non esse filios Dei, est temerarium, & hæreticum.*

1469 *Soli prædestinati dum existunt in gratia sunt perfectè, & vndequaque filij Dei: beati vero in patria sunt perfectissimè filij Dei.*

1470 *Prædestinati, cum sunt in peccato mortali, non sunt appellandi filij Dei, nisi cum hac limitatione, secundum prædestinationem.*

1471 *Deus simpliciter magis diligit prædestinatum quàm præscitum, tamen magis diligit præscitum in gratia, quam prædestinatum existentem in peccato pro eo tempore.*

1472 *Christus Dominus prout includit naturam humanam, & diui-*

nam

nam simul, & prout dicit diuinam tantum, est adorandus adoratione Latriæ, eius autem humanitas seclusa diuina persona, & relatione ad ipsam, non est adoranda adoratione Latriæ.

1473 *Christus, vt verbum caro, vnica adoratione Latriæ adorandus est: eius autem humanitas adoranda est huiusmodi adoratione, non per accidens; sed per se secundo.*

1474 *Humanitas auulsa à verbo, & solum habens relationem ad ipsum, non est adoranda adoratione Latriæ; sed Hyperduliæ.*

1475 *Christus, vt homo est capax adorationis, quæ dicitur hyperdulia: adoratio autem ipsius propriè loquendo vna est, etiam si adoratio humana, & diuina in ipso distinguuntur.*

1476 *Adorans christum adoratione duliæ, suspectus est de hæresi, quia Ecclesia tum adorat adoratione latriæ, vt Deum, & hyperduliæ, vt hominem.*

1477 *Dulia, & hyperdulia non distinguuntur specie; sed tantum sicut excellens, & minus excellens: & latria, & dulia magis distinguuntur.*

1478 *Si quis sit actus duliæ ortus ex motiuo diuino, spectat ad habitum latriæ, vt actus quo quis diligit proximum propter Deum, spectat ad charitatem eandem qua diligit Deum.*

1479 *Dulia quæ est ex motiuo creato, non videtur pertinere ad eandē virtutem, & speciem actus latriæ; sed ad virtutem obseruantiæ (vt vocat Sanctus Doctor): omnes autem isti actus imperantur à religione.*

1480 *Angeli Sancti aliquo cultu, & veneratione digni sunt: hic autem cultus est inferior latriæ, & hyperdulia; & est dulia, & superior quocunque cultu ciuili.*

1481 *Vsus imaginum christi, & Sanctorum est per se laudabilis, & honestus, & hæ rectè collocantur in templis, & nusquam melius.*

1482 *Certa fide credendum est imagines esse aliquo cultu colendas, adorantur autem propter extrinsecam rationem; per se tamen, & propriè, non per accidens, & abusiuè.*

1483 *Si modum loquendi perpendamus, dicendum est nullam imaginem adorandam esse adoratione latriæ, vnde non est adoranda adoratione prototypi; sed adoratione longe inferiori.*

1484 *Cultus qui debetur imagine pertinet analogicè, & secundum*

quan-

quandam imperfectionem ad cultum prototypi, quia est eadem adorationis ratio.

1485 *Actus siuè internus, siuè externus, qui, vel ex natura rei, vel ex accomodatione vsus proprius est latriæ, nulla ratione nisi methaphoricè conuenit imagini.*

1486 *Non est eadem planè ratio adorationis hominis, & imaginis Dei, quod si quis ferratur in hominem, vt imaginem Dei; licet illi adorare adoratione latriæ Deum in illo homine.*

1487 *Quod de imaginibus diximus, etiam de nominibus sentiendum est, signa autem noui testamenti, & signum Columbæ, Agni, eodem modo adoranda sunt quo imagines.*

1488 *Vsus, & cultus reliquiarum pius est, & laudabilis, & honestus & pertinet ad eundem fermè cultum, quo Sancti adorantur.*

1489 *Lignum Crucis, in qua Christus mortuus est, tanquam reliquia seruari, & coli debet: idem dicendum de clauis quibus fixus, & spinis quibus coronatus fuit.*

1490 *Vsus imaginis Crucis, qui est apud fideles siuè permanenter, siuè transeunter, vt quo nos signamus; laudabilis est, & religiosus.*

1491 *Mysterium Natiuitatis quod scilicet Deus nasceretur; non potuit manifestari euidenti visione sinè visione Deitatis: quo fit vt quicunque Christum viderunt, eius fidem diuinitatis non amiserũt.*

1492 *Temerarium est asserere ex syderum constellationibus Christi Domini natiuitatem, vel mortem, vel cætera eius vitæ mysteria potuisse prænosci.*

1493 *Stella dux Magorum nõ ex illis erat quæ ab initio creatæ, itinerum suorum ordinem sub creationis lege custodiunt; sed nouo Virginis partu, nouum sydus apparuit.*

1494 *Ea quæ præcipuè docet doctrina Christi euidentia non sunt: ijs tamen etiam si nec ratio, nec experientia euidentiam præbeat adhærere, & assentiri, non leuitatis est; sed summæ prudentiæ.*

1495 *Plura miracula patrarunt Apostoli quam Christus, quod tamen cedit in maiorem illius gloriam, & liberalitatis laudem.*

1496 *Miracula Christi fuerunt sufficientia ad eius manifestandam diuinitatem, tum ex specie operum quæ faciebat, tum ex materia, tum ex ipsius doctrina.*

1497 *Christus Dominus non transfiguratus fuit secundum substantiam,*

neret non saluaretur ratio vnionis hipostaticæ.

1316 *Filius Dei debuit, sicut etiam fecit assumere naturam humanam in athomo, non autē in omnibus indiuiduis, & hanc ex stirpe Adæ*

1317 *Sanguis in Christo Domino fuit vnitus verbo diuino hypostatice, licet autem ipse sanguis non esset pars humanæ naturæ, & haberet formam distinctam, non tamen cogimur dicere assumpsisse duas naturas.*

1318 *Eadem ratione licet filius Dei in triduo mortis assumpserit naturam cadaueris; assumpsit tamen non per se, sed consecutiuè vnde eam dimisit.*

1319 *Licet sanguis vnitus diuinitati esset suppositum, & natura distincta: non tamen compellimur confiteri illum sanguinem esse Deum; idem dicendum de anima, & corpore vnitis diuinitati in triduo mortis.*

1320 *Ex eo quod sanguis esset vnitus diuinitati, non sequitur totum sanguinem vnitum fuisse diuinitati post resurrectionem.*

1321 *Secundum ordinem temporis in mysterio incarnationis non existit aliquod medium, quia tota natura humana verbo vnita fuit in instanti: Assumpsit autem carnem mediante anima, tum secundū ordinem dignitatis, tum secundum ordinem causalitatis quantum ad fieri, non quantum ad esse.*

1322 *Verbum assumpsit animam mediante mente ob dignitatem, & congruentiam; dicere autem prius tempore assumptam fuisse animam quàm carnem est hæreticum: sicut etiam dicere prius fuisse à verbo carnem assumptam, quam anima vnitam.*

1323 *Simpliciter, & absolutè vnio diuinarum personarum in vna natura est omnium maxima, & ideo superat vnionem hypostaticam quæ est in Christo, quamquam hoc superat dignitate omnes vniones creatas.*

1324 *Humanitas in Christo habet propriā, & creatam existentiam, & videtur non posse existere existentia verbi, tum ex parte ipsius naturæ, tum ex parte verbi.*

1325 *Existentia naturæ humanæ in Christo non habuit omne suum complementum, & perfectionem; quia caret perfectione subsistentiæ, quæ propriè conuenit substantiæ.*

1326 *Nullo modo dicendum est essentiam esse rationem terminandi*

assum-

assumptionem; sed necesse est dicere rationem terminandi formaliter esse aliquam proprietatem personalem filij.

1327 *Nulla creatura naturaliter potest alienam suppositare naturam; quo fit, vt longe à veritate aberrent, qui existimarunt Isaach, & Iacob fuisse Angelos incarnatos, & qui putant Antichristum fore Diabolum incarnatum.*

1328 *Si suppositum distinguitur realiter à natura, vt res à re; nulla est implicantia quominus possit alienum suppositum creatum, alienam suppositare naturam.*

1329 *Si verò suppositum non distinguitur à natura nisi vt modus à re, cuius est modus; dicendum est adhuc posse ab ea separari, & alienam naturam suppositare per diuinam potentiam.*

1330 *Natura diuina, vt nudè concipitur sub conceptu essentiæ, sine subsistentia, nõ potest terminare naturam humanã: potest autem, vt concipitur subsistens abstractis personalitatibus.*

1331 *Si subsistentia sumatur pro actu substantiæ; videtur necessario dicendum dari communem, & absolutam subsistentiam, quæ sit perfectè singularis, & integra naturæ subsistentis, ex qua non modo dicitur vna diuinitas; sed vnus Deus, & vnus habens Deitatem communicabiliter quidem; sed singulariter.*

1332 *Implicat quod tres diuinæ personæ assumant eandem numero naturam ad vnionem hypostaticam, seu substantialem: Quod autem tres personæ eandem assumere naturam possint; nulla est implicatio*

1333 *Si vna persona plures assumpsisset humanitates; esset vnus homo habens plura corpora, & plures animas, & secundum vnam potuisset esse verbi gratia Ioannes, & secundum alteram Christus, secundum vnam mortuus, secundum aliam viuus.*

1334 *Tunc vera esset prædicatio, Ioannes est Christus: & ita si idem verbum assumpsisset naturam Petri, & Angeli; verùm esset dicere Petrum esse hominem, & Angelum.*

1335 *Potuisset verbum assumere animam sine corpore; vel corpus sine anima: & tunc fuisset homo per synecdochen.*

1336 *Potuisset etiam assumere materiam primam solam, solam formam substantialem corruptibilem, item accidentia non modo in subiecto; sed etiam in se.*

1337 *Si verbum assumpsisset accidentia in se, non potuisset ipsa hy-*

Q postaticè

postaticè aßumere, vnde non fuißet communicatio idiomatum directè, nec in abstracto, nec in concreto; sed in obliquo.

1338 Natura humana à singularibus auulsa eo modo, quo referente Aristotele posuit ideas Plato, inaßumpsibilis est: potuit tamen assumi eo modo quo est in idea diuina; sed non vt est species, & natura specifica, logicè loquendo.

1339 Certa fide credendum est corpus Christi fuisse verum corpus non cœleste, sed compositum ex quatuor elementis, & eiusdem rationis cum nostro.

1340 Eadem fide credendum est humanitatem Christi certum sibi locũ postulasse, nec posse vbique esse, & accepisse Christum optimam, perfectamque corporis dispositionem.

1341 Non assumpsit autem vnam ex quatuor complexionibus enumeratis à phylosophis; sed ex ijs optimum delibauit: ita vt eius temperamentum esset ex omnibus optimum; ratione cuius habuit eximiã quandam speciem, & pulchritudinem.

1342 Assumpsit etiam omnes facultates animæ vegetatiuæ, & famem, & sitim passus est, voluntariè tamen: poterat enim non pati si voluisset: eius autem corpus tametsi non haberet principium intrinsecum ægritudinis, erat tamen naturaliter passibile, & mortale, & de facto post multam ætatem naturaliter interijsset per resolutionem, nisi mors violenta allata fuisset.

1343 Assumpsit etiam omnes sensus tam interiores, quàm exteriores, eosque perfectissimos, vnde habuit passiones, seclusis imperfectionibus, quæ proinde meritò à Hieronymo dicuntur propassiones: nullo tamen modo contraxit fomitem.

1344 Christus Dominus ratione humanitatis assumpsit motum localem, & quæ ipsum consequuntur, non tamen concedo hanc propositionem, verbum mouetur, nec per accidens quidem, nec ratione communicationis idiomatum.

1345 Christus assumpsit voluntatem humanã, appetitum rationalẽ, & sensitiuum sine deformitate, habuitquè operationes humanas, & diuinas inter se distinctas: eius autem voluntas efficax, & absoluta fuit totaliter conformis voluntati diuinæ, etiam in materiali volito: quoad actus autem inefficaces potuit dissentire à Deo in volito materiali.

Voluntas

1346 *Voluntas creata Christi fuit propriè & verè capax praecepti: qua ratione fuit subiectus legi aeternae, & naturali, consequenter legi Decalogi, quatenus continet praecepta naturalia.*

1347 *Christus Dominus nulli legi humanae, neque vlli legi positiuae fuit subiectus, etiamsi vniuersaliter omnes obligaret, siue esset Mosaica, siue Euangelica.*

1348 *Voluntas creata Christi fuit capax praecepti positiui; quod illi peculialiter impositum est à patre, nimirum praedicandi Euangelium, redimendi genus hominum satisfaciendi pro illis.*

1349 *Voluntas Christi Domini habuit libertatem quoad substantiam in bonis operationibus, in ordine autem ad actiones praeceptorum lege naturae non habuit perfectam libertatem contradictionis, quia erant necessariae posita vnione hypostatica.*

1350 *Ratione praecepti positiui redimendi genus humanum & subeundi mortem pro illo habuit libertatem, quatenus id facere voluisset: etiamsi sibi praeceptum non fuisset, & quatenus fecit cum intensiori amore quàm teneretur.*

1351 *Christus Dominus caruit omni peccato tum originali tum actuali: originali quidē, quia non fuit conceptus ex semine Adae; actuali autem propter vnionem hypostaticam.*

1352 *In conceptione Christi transmissio sanguinis ad locum generationis facta fuit in tempore: at cum primum* Beata Virgo *praebuit consensum, in instanti materia illa sanguinis praeparata est vi Spiritus sancti, fuit organizata, & dispositа in quantitate necessaria ad animam recipiendam, & in eodem instanti infusa est anima, & facta vnio.*

1353 *Ordine intensionis prius assumptum est totum, quàm partes; ordine executionis, prius partes quàm totum, & sic sunt medium: potuit autem dissolui totum non dissolutis partibus, vt accidit in triduo mortis.*

1354 *Ante omnem gratiam creatam, & omne donum intelligimus animam Christi Domini esse infinitè gratam Deo, & seclusa quacunque gratia creata; non potest anima Christi non esse grata, & accepta Deo: vnde etiamsi ea careret, tamen eius operationes essent infinitè meritoriae.*

1355 *Seclusa gratia creata, potuisset anima Christi ordinari ad glo-*

riam: illam autem habere de facto, catholica fide constat.

1356 *In Christo Domino fuerunt ab instanti suæ conceptionis habitus infusi virtutum moralium, & intellectualium tum infusorum, tum acquisitorum, quæ quidem non repugnēt dignitati Christi, qui fuerunt necessarij ad tribuendum esse formale illarum virtutum.*

1357 *In Christo actus virtutum non potuerunt intendere habitus; sed tantum ponere maiorem facilitatem in corpore: habuit autem præterea etiam habitus qui sunt circa passiones secundum statum perfectum excludentem omnem passionem.*

1358 *In Christo Domino non fuit fides, vt dicit obscuritatem; sed vt dicit fidelitatem, & veracitatem, nec spes in ordine ad beatitudinem; sed in ordine ad glorificationem corporis.*

1359 *Habuit præterea omnes gratias gratis datas spectātes ad cognitionem, nempe prophetiam, discretionem spirituum, interpretationum sermonum, sensum scripturarum, & gratias sermonis, scilicet sermonem sapientiæ, sermonem scientiæ, donum linguarum, & hæc permanenter, quod non est concessum prophetis.*

1360 *Habuit etiam speciali modo omnes gratias consistentes in operatione, scilicet gratiam sanitatum, & operationum virtutum, quæ omnia fuerunt illi concessa diuinitus.*

1361 *Ex quo apparet prorsus reijciendos esse asserentes Christum Dominum arte Magica, vel Astronomia, vel qualitate corporea miracula patrasse: fuit enim tantum humanitas ipsa per potentiam obedientialem à Deo ad quemcunque miraculosum effectum producendum eleuata.*

1362 *Hæc virtus concurrebat ad miracula, vt instrumentum verbi per modum agentis physici; & nūc est in ipsius humanitate, & potest ab eo creaturæ communicari non modo quoad effectum; sed etiā quoad modum.*

1363 *Gratia Christi Domini secundū esse Physicū est eiusdē rationis cū gratia quā habent iusti: in ipso tamen fuit plenitudo gratiæ qualis nec fuit, nec esse potest in vlla creatura de potentia ordinaria.*

1364 *Gratia Christi Domini secundum acceptationem, & secundum suppositum, & meritum potest dici infinita; at verò secundum esse Physicum, nullo modo dicitur esse infinita: dicitur tamen summa de potentia: & lege Dei ordinaria.*

Gratia

1365 *Gratia Christi habitualis non præcessit vnionem tamquam dispositio necessaria, neque fluit naturaliter ab vnione tamquam à diuino supposito; cum tamen possit dici naturaliter Christi hominis.*

1366 *Gratia Christi dicitur prima omnium gratiarum ordine dignitatis, & causalitatis: & ideo Christus dicitur caput omnium prædestinatorum,*

1367 *Gratia Christi habet omnimodam perfectionem, & propterea maximè spectat ad gratiam capitis non solum intensiuè, & intrinsecè; sed etiam extensiuè, & extrinsecè in ordine ad alios.*

1368 *Influxus gratiæ Christi Domini non videtur spectare ad gratiam sanctificantem Angelos: vnde Christus non est mortuus pro Angelis, nec pro Dæmonibus; cum tamen dicatur illorum caput: quia in illos influxit illuminationes, & gaudia accidentalia.*

1369 *Christi gratia est causa vniuersalis physicè influens in gratiam iustificantem, & alia dona, quæ conferuntur post incarnationem: moralis verò gratiæ sanctorum Patrum, qui illam præcesserunt, non tamen per modum impetrationis.*

1370 *Scientia quæ formaliter est in Deo, non potest communicari creaturæ; vnde Christus in quantum homo non habet scientiam diuinam.*

1371 *Christus Dominus ab instanti conceptionis suæ habuit scientiam beatorum, ac proinde fuit comprehensor: præter hanc, est alia scientia ex suo genere infusa.*

1372 *Christus Dominus est caput omnium hominum tum quoad diuinitatem, tum quoad humanitatem, & quantum ad corpus, & quantum ad animam influendo dona sua in nos & quoad corpus, & quoad animam.*

1373 *Gratia Christi Domini secundum quod est caput, est eiusdem rationis cum gratia ipsius in quantum est singularis homo.*

1374 *Esse caput Ecclesiæ propria auctoritate secundum omnem locum, tempus, & statum, est proprium Christi; esse autem caput secundum omnem locum, sed non secundum omne tempus & statum; est proprium summi Pontificis: at esse caput secundum aliquem locum; est Prælatorum.*

1375 *Caput dicit tria, ordinem, perfectionem, & virtutem influendi: omnibus his modis Diabolus dicitur caput omnium malorum, se-*

cundo

cundo verò modo Antichristus dicitur caput omnium malorum.

1376 *Anima Christi non comprahendit verbum per suam cognitionem, cognoscit autem in ipso omnia quæ videt scientia visionis, non tamen omnia quæ videt scientia simplicis intelligentiæ; & quantumuis hæc cognouissent verbum; tamen non comprahendet.*

1377 *Anima Christi cognouit in verbo infinita non actu; sed potentia: vidit autem ipsum clarius quacumquè alia creatura.*

1378 *Christus Dominus per scientiam infusam omnia etiam in singulari cognoscit: cognoscit autem quæcumquè videt verbum scientia visionis præter diuinam essentiam.*

1379 *Anima Christi secundum hanc scientiam poterat intelligere sine conuersione ad phantasmata prout volebat.*

1380 *Eadem scientia ex ratione suæ speciei non habet discursum; sed omnia simplici intelligentia repræsentabat: tamen si quando volebat discurrebat, non deueniendo in cognitionem ignoti ex cognito; sed tantum quod verum est concludendo.*

1381 *Hæc ipsa scientia fuit in Christo multo excellentior quàm scientia angelorum quantum ad id quod se tenet ex parte Dei influentis, quantum ad multitudinem cognitorum, & claritatem cognitionis: quantum verò ad modum cognoscendi ex parte subiecti, est im perfectior illa.*

1382 *Christus Dominus per scientiam acquisitam sciuit omnia quæ illustrari possunt lumine intellectus agentis; non tamen omnia simpliciter: non enim sicut essentias substantiarum separatarum, nec singularia præterita, præsentia futura.*

1383 *In hac scientia ipse profecit secundum experientiam, nec secundum hanc scientiam nihil vnquam didicit, nec ab homine, nec ab Angelis.*

1384 *Christi anima non habet omnipotentiam simpliciter, vt talis est: immo nec habet potentiam instrumentalem annihilandi, aut creandi.*

1385 *Habuit tamen anima Christi secundum propriam naturam potentiam ad faciendos illos effectus, vt est corporis gubernatio, & regimen.*

1386 *Et vt instrumentum coniunctum diuini suppositi habuit instrumentalem virtutem ad omnes mutationes miraculosas ordinabiles*

ad finem

ad finem incarnationis, qui est omnia instaurare, siue quæ in cœlis, siue quæ in terris.

1387 *Anima Christi Domini secundum propriam virtutem: non habuit omnipotentiam respectu proprij corporis; sed ratione diuini suppositi.*

1388 *Quicquid Christus voluit per se adimplendum, potuit propria virtute, vel naturali, vel gratuita: quicquid verò voluit faciendum, diuina virtute potuit facere instrumentaliter, vt instrumentum verbi diuini.*

1389 *In Christo, nec fuit, nec potuit esse peccatum, nec vt in Deo, nec vt in homine: si tamen per impossibile natura humana peccasset, actus peccati supposito tribuendus esset.*

1390 *Ei soli ablatus est fomes (Beatissimam* VIRGINEM *semper excipio) alijs verò sanctis viris quantumuis heroicis virtutibus claruerint; ablatum non esse planè sentio.*

1391 *Christus Dominus non habuit ignorantiam earum rerum, quæ ad suum statum, & conditionem pertinent, quia venit illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis sedent.*

1392 *Non potuit etiam de potentia Dei habere ignorantiam, aut errorem positiuum, nec practicum, nec speculatiuum, nec culpabilem, nec inculpabilem.*

1393 *Anima Christi Domini fuit passibilis passione corporali: immo etiam animali: quæ tamen passiones differebant à passionibus nostris, quantum ad obiectum, principium, & effectum.*

1394 *Christum Dominum habuisse sensibilem appetitum constat ex illo, quia dolores nostros ipse tulit: est autem dolor non in membro læso; sed in appetitu sensitiuo tanquam in subiecto.*

1395 *Verus dolor à sola imaginatione mali præsentis proficisci non potest, sed tunc est tristitia: ad ipsum autem requiritur læsio realis.*

1396 *Fuit etiam in Christo tristitia, & timor quantum ad motum appetitus sensitiui ex malo futuro apprehenso, non tamen secundum incertitudinem futuri euentus: hunc autem timorem magis propriè possumus dicere pauorem.*

1397 *Præterea fuit in ipso admiratio orta ex ignorantia opposita scientiæ experimentali, & ira per zelum secundum ordinem iustitiæ.*

1398 *Hæc propositio, Deus est homo, vera est; ita vt Deus supponat*

pro

pro filio, homo pro vero homine, & est in materia necessaria: eodem modo vera est hæc propositio, homo est Deus.

1399 *Nomina concreta significantia naturas vt Deus, homo, vel proprietates naturaliū, vt æternus tēporaneus, vel actiones, vt creat, gubernat, vel passiones vt crucifigatur, transfigitur; reciprocè prædicantur.*

1400 *Quæ vero in ipso Domino sunt vnius naturæ non prædicantur de altera in abstracto significata: nomen autem abstractum naturæ diuinæ significans naturam diuinam, vel eius proprietatem, sicut prædicatur de verbo; ita prædicatur de filio hominis in concreto: & ideo rectè dicimus filius hominis homo, Christus est Deitas, immortalitas, æternitas.*

1401 *Abstractum nomen naturæ humanæ nō prædicatur de filio Dei, nec de filio hominis, etiam in concreto non solum formaliter, sed nec identicè quidem: vnde falsa hæc propositio, filius Dei, aut filius hominis, siuè Christus est humanitas.*

1402 *Idiomatum communicatio, & proprietatum non in hoc consistit quod quicquid conuenit naturæ humanæ, conueniat hypostasi diuinæ; sed in hoc quod quicquid conuenit homini, conuenit personæ diuinæ.*

1403 *Vera est hæc præpositio, Deus factus est homo; sed hæc propositio homo factus est Deus, simpliciter falsa est; nisi exponatur factum est, vt homo esset Deus.*

1404 *Item falsa est hæc propositio, Christus, vel homo iste est recens: cum vera sit hæc, Deus recenter factus est homo*

1405 *Absolutè non est dicendum, Christus est creatura; sed ponenda est limitatio, hoc est per synecdochen secundum humanam naturam*

1406 *Ea quæ sunt naturæ humanæ; de quibus dubitari non potest an conueniant personæ diuinæ secundum seipsam, possunt simpliciter asseri de Christo, vt Christum esse passum, mortuum.*

1407 *Ea verò de quibus dubitari potest an illi conueniant ratione humanæ naturæ, an verò ratione diuini suppositi, debent asseri de Christo, cum determinatione secundum humanam naturam.*

1408 *Falsa est simpliciter hæc, iste homo, demonstrato Christo, cœpit esse, quia homo supponit pro supposito verbi æterno.*

1409 *Vera est ista, Christus secundum naturam humanam est creatura, fal-*

ra, falsa hæc Christus secundum quod homo est creatura, & hæc, Christus secundum quod hic homo est creatura.

1410 *Falsa est hæc, Christus secundum quod homo est Deus; sed vera est hæc, Christus secundum quod hic homo est Deus.*

1411 *Hæc propositio, Christus secundum quod homo est hypostasis, vel persona, si homo reduplicat suppositum vera est, si homo reduplicat naturam falsa est, simpliciter autem neganda est potius.*

1412 *Hæc propritio, Christus secundum quod hic homo est hypostasis, est concedenda potius, quàm neganda, quia homo supponit pro supposito.*

1413 *Falsa est hæc propositio, Christus est tantum, vel solum homo, vel est tantum, vel solum Deus: vera est hæc, Christus est tantum id quod est homo, & id quod est Deus: vel is tantum, qui est homo, vel is, qui est Deus.*

1414 *Catholica fide constat in Christo Domino duas esse voluntates, alteram diuinam, alteram humanam, & hanc illi fuisse subiectam atque conformem.*

1415 *Sensualitatem etiam, seu sensitiuum appetitum habuit: ratione cuius dixit Tristis est anima mea vsque ad mortem; qui in omnibus fuit conformis rationi: vnde excludimus ab ipso primos motus inde liberatos.*

1416 *Vnus est habitus scientiæ Christi Domini, cuius actum, vel actus etiamsi non penderet, vel dependeret à phantasmate: semper etiam in somnis exercuit.*

1417 *Lumen sciētiæ infusæ in Christo Domino, distinguitur essentialiter à lumine gloriæ: est autem eiusdem rationis cum lumine prophetico perfectissimo, nisi quod lumen propheticum est per modum transeuntis, hoc verò per modum permanentis.*

1418 *Nullo modo existimandum est communicationem idiomatum positam esse in reali communicatione diuinorum attributorum: necesse est tamen admittere in Christo aliquam communicationē idiomatum propter vnitatem suppositi.*

1419 *Propositio hæc, Deus est passus carne, vel per carnem, vera est, sed falsa hæc, Diuinitas est passa in carne, vel per carnem.*

1420 *Admitto hanc, Christus est diuinitas in sensu identico non formali, si Christus supponat pro supposito verbi: non tamen omnia,*

quæ sunt in Christo sunt diuinitas: contra falsa est hæc, caro, vel anima Christi est diuinitas.

1421 *Damnata est hæc propositio, Diuinitas passa est, mortua est; sed Catholica hæc, Diuinitas est incarnata.*

1422 *Hæc propositio, Deus est homo, si Deus supponat pro supposito Verbi non quocunque tempore, sed post incarnationem; est in materia naturali, & necessaria.*

1423 *Eadem propositio reduplicatiuè sumpta non est concedenda: eo autem modo, quo conceditur est per se ad eum modum quo forma prædicatur de suo supposito, vt filius, est Deus.*

1424 *Hæc propositio, Homo factus est Deus, si in ea homo supponat pro homine subsistente, falsa est, & hæretica: est autem in ipsa suppositio, non simplex, sed personalis.*

1425 *Omnes Christi Domini operationes fuerunt humanæ scilicet intelligere, velle, imaginari, sentire, tendere deorsum præ corporis grauitate: quæ tamen, præter tres primas, in cæteris hominibus non sunt humanæ.*

1426 *Christus Dominus habuit per meritum, quicquid habuit per meritum quilibet alius homo: dummodo carentia illius non dicat imperfectionem in ipso.*

1427 *Vnde Christus sibi non meruit gratiam neque scientiam, neque beatitudinem animæ, nec diuinitatem, quia si hæc meruisset, illis caruisset, quod derogat eius excellentiæ.*

1428 *Christus Dominus meruit sibi gloriam corporis, & ea, quæ spectant ad exteriorem excellentiam, vt resurrectio, ascensio, & similia, quibus certum est ipsum aliquando caruisse.*

1429 *Meritum Christi Domini se extendit ad alios prout sunt eius membra: nam in ipso fuit gratia non solum vt in homine singularis; sed etiam vt in capite totius Ecclesiæ.*

1430 *Meritum Christi Domini fuit perfectæ iustitiæ qualis esse potest inter Deum, & hominem: non potuit autem mereri actione diuina, nec potuisset humana, si illa libera non fuisset.*

1431 *Nullo modo dicendum est Christum Dominum meruisse formaliter per actiones partis sensitiuæ: materialiter autem potuit, quatenus illæ actiones erant imperate à voluntate.*

1432 *Christus non meruit per actiones partis inferioris animæ rationalis,*

ralis, neque per actus amoris beatificat; sed per proprios actus tanquam viatoris.

1433 *Meritum Christi fuit vnica actio, cuius principium fuit oblatio Christi sui ipsius ad patrem in instanti conceptionis, quo meruit quicquid meruit continuatè non solum moraliter; sed etiam physicè vsque ad mortem.*

1434 *Christus non meruit nobis nostram salutem per mortem suam, nisi quatenus præuisam, & præuolitam, & oblatam Deo patri, & quatenus dicit vnam passionem cum passione mortē antecedēte.*

1435 *Christus Dominus per resurrectionem, & ascensionem non meruit, ipsæ tamen fuerunt causa exemplaris nostræ resurrectionis, & glorificationis.*

1436 *Non est dicendum actiones Christi Domini fuisse ab ipso ordinatas, & à patre acceptas in ordine ad præmium infinitum.*

1437 *Meritum Christi Domini entitatiuè fuit finitum: quatenus verò manabat à diuino supposito potest dici infinitum, non solum omnibus actionibus Christi collectiuè sumptis, verum etiam singulis.*

1438 *Meritum Christi fuit infinitū sicut est omnipotentia Dei: quia neutrum illorum habet obiectum suum adæquatū sibi corrispondēs.*

1439 *Omnes actiones Christi Domini siue naturales, siue supernaturales fuerunt meritoriæ: meruit igitur Christus, etiam dormiendo.*

1440 *Christus non meruit sibi prædestinationem suæ incarnationis, nec mereri potuit etiam de potentia Dei absoluta.*

1441 *Potuit sine dubio Christus Dominus mereri sibi continuationem incarnationis, posita ipsa incarnatione, sicuti iusti merentur augmentum gratiæ.*

1442 *Si loquamur de possibili, potuit Christus Dominus in eodem instanti conceptionis habere gratiam, & gloriam, ita vt meritum sit tantum natura prius, quam præmium.*

1443 *Quamtumuis Christus aliquid sibi meruerit, & omnem mercedem sibi fecerit debitam de rigore iustitiæ; tamen non dicitur pro se satisfecisse.*

1444 *Christus Dominus non satisfecit immediate pro culpa nostra, ita vt fecerit remissionem culpæ nobis ex iustitia debitam absque vllo opere nostro: & oppositum sentire est hæreticum.*

1445 Satisfactio Christi est infinita non solum ratione suppositi; sed etiam ratione operis exerciti, dicitur habere quandam infinitatē sal tem negatiuam.

1446 Si subiectio consideretur secundum diuersitatem suppositorum, hæreticum est dicere Christum sibi ipsi fuisse subiectum.

1447 Si verò subiectio consideretur secundum diuersitatem naturarum; vera est hæc propositio, Christus est sibi ipsi subiectus.

1448 Christus Dominus dicitur subiectus, & seruus patris tripliciter: secundum bonitatem, secundum seruitutem, & secundum obedientiam.

1449 Christus orauit patrem non voluntate diuina; sed humana, non secundum diuinitatem; sed secundum humanitatem: personæ enim diuinæ non possunt se inuicem orare.

1450 Oratio eius ab oratione nostra differebat primum, quia ipse orabat ad alienum exemplum, nos ad propriam vtilitatem: deinde quia eius oratio efficax semper adimpletur: nostra vero non semper.

1451 Christus non orauit secundum sensualitatem, ita vt ipsa oratio esset actus elicitus sensualitatis: dicitur tamen orasse secundum sensualitatem, prout oratio eius orando expreßit affectum sensualitatis ad nostram instructionem.

1452 Periculosum esset negare orationes quas Christus, & sancti beati effundunt, prodesse animabus existentibus in purgatorio.

1453 Christus Dominus fuit Sacerdos, & Rex, & Legislator: fuit autem Sacerdos proprie quidem, non tamen Leuiticus, aut ex ordine Aaronico; sed secundum ordinem Melchisedech.

1454 Non est dicendum Christum fuisse Sacerdotem secundum diuinitatem, & victimam secundum humanitatem.

1455 Postquam ascendit in cœlum orauit, orat, & orabit pro nobis vsque ad diem iudicij, non solum repræsentando patri suas actiones meritorias, quas fecit in hac vita; sed etiam preces offerendo, non tamen flendo, nec quicquam indignum beatitudine faciendo.

1456 Martyrum paßiones non habent rationem sacrificij sicut paßio Christi Domini: sciendum autem est iure diuino, & naturali prohibitum esse immolare homines.

1457 Christus Dominus recepit aliquos effectus sui sacerdotij, scilicet gloriam resurrectionis, vel certe secundum corpus suum mysticum.

Christus

1458 *Christus absolutè dicendus est filius naturalis Dei, non adoptiuus, immo etiam, vt homo iustus, non est absolutè dicendus filius adoptiuus.*

1459 *Si quis tamen rectè distinguat ea quæ in Christo sunt, potest verè dicere Christum, vt hominem esse filium Dei adoptiuum, quatenus filiationem, quam habet, siue ratione gratiæ vnionis, siue ratione gratiæ infusæ, habet à gratuita Dei voluntate.*

1460 *Christus Dominus simpliciter, & absolutè potest dici prædestinatus, & in quantum homo potest dici prædestinatus, tum in ordine ad gratiam, tum in ordine ad gloriam.*

1461 *Non potest absolutè dici, filius Dei est destinatus, aut prædestinatus; sed rectè dicimus prædestinatũ est, vt filius Dei fieret homo.*

1462 *Deum sibi adoptare creaturas in filios, catholica fide credendum est, & hanc esse veram adoptionem indubitanter tenendum est.*

1463 *Adoptare, conuenire toti Trinitati de fide est, appropriatur tamẽ primæ personæ: vnde dicimur fratres, & filij Christi.*

1464 *Adoptari, est proprium creaturæ rationalis, & hoc per gratiam, & charitatem, & inde Angeli dicuntur filij Dei.*

1465 *Patres veteris testamenti qui Deo placuerunt, fuisse verè, & propriè filios Dei adoptiuos, Catholica fides docet.*

1466 *Iusti, & sancti legis Euangelicæ perfectiori, & excellentiori modo adepti sunt filiationem Dei adoptiuam, quam patres veteris testamenti; etiam stante æquali sanctitate, & iustitia.*

1467 *Quamuis patres veteris testamenti verè, & propriè fuerint filij adoptiui Dei; dicuntur tamen per tropum, & figuram ad nos comparati.*

1468 *Dicere præscitos, & reprobos in gratia existentes non esse filios Dei, est temerarium, & hæreticum.*

1469 *Soli prædestinati dum existunt in gratia sunt perfectè, & vndequaque filij Dei: beati vero in patria sunt perfectissimè filij Dei.*

1470 *Prædestinati, cum sunt in peccato mortali, non sunt appellandi filij Dei, nisi cum hac limitatione; secundum prædestinationem.*

1471 *Deus simpliciter magis diligit prædestinatum quàm præscitum, tamen magis diligit præscitum in gratia, quam prædestinatum existentem in peccato pro eo tempore.*

1472 *Christus Dominus prout includit naturam humanam, & diuinam*

nam

nam simul, & prout dicit diuinam tantum, est adorandus adoratione Latriæ, eius autem humanitas seclusa diuina persona, & relatione ad ipsam, non est adoranda adoratione Latriæ.

1473 *Christus, vt verbum caro, vnica adoratione Latriæ adorandus est: eius autem humanitas adoranda est huiusmodi adoratione, non per accidens; sed per se secundo.*

1474 *Humanitas auulsa à verbo, & solum habens relationem ad ipsum, non est adoranda adoratione Latriæ; sed Hyperduliæ.*

1475 *Christus, vt homo est capax adorationis, quæ dicitur hyperdulia: adoratio autem ipsius propriè loquendo vna est, etiamsi adoratio humana, & diuina in ipso distinguuntur.*

1476 *Adorans christum adoratione duliæ, suspectus est de hæresi, quia Ecclesia tum adorat adoratione latriæ, vt Deum, & hyperduliæ, vt hominem.*

1477 *Dulia, & hyperdulia non distinguuntur specie; sed tantum sicut excellens, & minus excellens: & latria, & dulia magis distinguuntur.*

1478 *Si quis sit actus duliæ ortus ex motiuo diuino, spectat ad habitum latriæ, vt actus quo quis diligit proximum propter Deum, spectat ad charitatem eandem qua diligit Deum.*

1479 *Dulia quæ est ex motiuo creato, non videtur pertinere ad eandē virtutem, & speciem actus latriæ; sed ad virtutem obseruantiæ (vt vocat Sanctus Doctor): omnes autem isti actus imperantur à religione.*

1480 *Angeli Sancti aliquo cultu, & veneratione digni sunt: hic autem cultus est inferior latria, & hyperdulia; & est dulia, & superior quocunque cultu ciuili.*

1481 *Vsus imaginum christi, & Sanctorum est per se laudabilis, & honestus, & hæ rectè collocantur in templis, & nusquam melius.*

1482 *Certa fide credendum est imagines esse aliquo cultu colendas, adorantur autem propter extrinsecam rationem; per se tamen, & propriè, non per accidens, & abusiuè.*

1483 *Si modum loquendi perpendamus, dicendum est nullam imaginem adorandam esse adoratione latriæ, vnde non est adoranda adoratione prototypi; sed adoratione longe inferiori.*

1484 *Cultus qui debetur imagine pertinet analogicè, & secundum*

quan-

quandam imperfectionem ad cultum prototypi, quia est eadem adorationis ratio.

1485 *Actus siuè internus, siuè externus, qui, vel ex natura rei, vel ex accomodatione vsus proprius est latriæ, nulla ratione nisi methaphoricè conuenit imagini.*

1486 *Non est eadem planè ratio adorationis hominis, & imaginis Dei, quod si quis ferratur in hominem, vt imaginem Dei; licet illi adorare adoratione latriæ Deum in illo homine.*

1487 *Quod de imaginibus diximus, etiam de nominibus sentiendum est, signa autem noui testamenti, & signum Columbæ, Agni, eodem modo adoranda sunt quo imagines.*

1488 *Vsus, & cultus reliquiarum pius est, & laudabilis, & honestus & pertinet ad eundem fermè cultum, quo Sancti adorantur.*

1489 *Lignum Crucis, in qua Christus mortuus est, tanquam reliquia seruari, & coli debet: idem dicendum de clauis quibus fixus, & spinis quibus coronatus fuit.*

1490 *Vsus imaginis Crucis, qui est apud fideles siuè permanenter, siuè transeunter, vt quo nos signamus; laudabilis est, & religiosus.*

1491 *Mysterium Natiuitatis quod scilicet Deus nasceretur; non potuit manifestari euidenti visione sinè visione Deitatis: quo fit vt quicunque Christum viderunt, eius fidem diuinitatis non amiserũt.*

1492 *Temerarium est asserere ex syderum constellationibus Christi Domini natiuitatem, vel mortem, vel cætera eius vitæ mysteria potuisse prænosci.*

1493 *Stella dux Magorum nõ ex illis erat quæ ab initio creatæ, itinerum suorum ordinem sub creationis lege custodiunt; sed nouo Virginis partu, nouum sydus apparuit.*

1494 *Ea quæ præcipuè docet doctrina Christi euidentia non sunt: ijs tamen etiam si nec ratio, nec experientia euidentiam præbeat adhærere, & assentiri, non leuitatis est; sed summæ prudentiæ.*

1495 *Plura miracula patrarunt Apostoli quam Christus, quod tamen cedit in maiorem illius gloriam, & liberalitatis laudem.*

1496 *Miracula Christi fuerunt sufficientia ad eius manifestandam diuinitatem, tum ex specie operum quæ faciebat, tum ex materia, tum ex ipsius doctrina.*

1497 *Christus Dominus non transfiguratus fuit secundum substantiam,*

tiam,

tiam, & quantitatem; sed tantum secundum qualitatem in claritatem, quæ secundum causam, & essentiam fuit claritas gloriæ; sed non secundum modum essendi.

1498 *Non decuit Christum pati omnes passiones ab extrinseco, secundum speciem; sed secundum genus, & hoc factum est.*

1499 *Dolor Christi Domini in passione, tum internus in anima, tum externus in corpore fuit omnium temporalium dolorum maximus, tam distributiuè, quam collectiuè.*

1500 *Hic tamen dolor non fuit infinitus, neq; maximus dolorũ, quos homo mortalis in hac vita sustinere potest.*

1501 *De lege ordinaria, & secundum communem cursum non potest esse maior dolor, neque acerbior cruciatus in vllo homine viatore, quam fuerit in Christo.*

1502 *Dolor damnatorum in inferno, siuè interior, siuè exterior, siuè ante, siuè post restitutionem animæ ad corpus, maior est dolore animæ Christi.*

1503 *Tota anima Christi ratione essentiæ passa est; & passa est in singulis potentijs inferioribus passionibus proprijs illarum potentiarũ,*

1504 *Ex parte sui subiecti omnes potentiæ animæ Christi patiebantur; ratio autem superior in ipso non patiebatur ex parte sui obiecti.*

1505 *Tota anima Christi Domini secundum essentiam in eius passione fruebatur visione beatifica; sed non totalitate potentiarum.*

1506 *Christus Dominus ab alijs directè occisus fuit: à seipso autem indirectè quatenus indirectè fuit permissiua causa mortis suæ, quæ illi necessaria fuit, nullo supposito miraculo.*

1507 *Vulnera Christi Domini inflicta fuerunt sufficientia ad tollendam vitam, vnde mors eius fuit naturalis quatenus fuit causata à naturali agente.*

1508 *Mors Christi Domini simpliciter non fuit miraculosa; sed tantum quatenus natura restitit virtute diuinitatis plusquam in alijs hominibus: fuit autem voluntaria, & violenta.*

1509 *Verbum diuinum in morte Christi Domini fuit separatum à tota natura humana: permansit nihilominus hypostaticè vnitum cũ partibus essentialibus, & integralibus naturæ humanæ seorsum sumptis.*

1510 *Nullo modo concedendum est filium Dei in triduo mortis Domini fuisse*

ni fuisse animam, aut corpus emortuum; sed habuisse animam, & corpus mortuum.

1511 *Propositiones istæ, filius, siue Christus sepultus est, descendit ad inferos; veræ sunt per synecdochen: totaliter verò sūptæ falsæ sunt*

1512 *In triduo mortis Christus Dominus simpliciter, & absolutè non potuit dici homo: potuit tamē verè dici homo mortuus, & sacerdos.*

1513 *Absolutè idem fuit numero corpus Christi Domini mortui, & viui: totaliter verò non idem.*

1514 *Christus Dominus descendit ad inferos, non modo secundum effectum suæ virtutis; sed etiam cum diuinitate, & anima secundū substantiam.*

1515 *Corpus Christi Domini post resurrectionem non phantasticum; sed verum corpus fuit, & integrum cum carnibus, ossibus, sanguine, & cicatricibus; verum immortale, & gloriosum cum dotibus corporis gloriosi.*

1516 *Christus Dominus ascendit in cœlum, non secundum diuinitatem; sed secundum humanitatem: non humana; sed diuina virtute: vnde ascendit vt homo formaliter, vt Deus efficienter.*

1517 *Secundum quod Deus, est dextera patris: secundum quod homo; sedet ad dexteram patris, sed non est dextera patris: hoc autem illi ita proprium est, vt nulli creaturæ conueniat.*

DE DEIPARA VIRGINE.

1518 DICERE *Beatissimam* VIRGINEM *ignobilem fuisse, temerarium est: quamuis enim parentes eius honestæ conditionis fuerint quoad fortunas; nobilitate tamen illustres fuerunt.*

1519 *Descendit enim Beatissima Virgo de Tribu Iuda, etiamsi negandum non sit eam aliquomodo processisse ex tribu Leui.*

1520 *Beatissima Virgo sanctificata fuit in vtero materno ante natiuitatem; sed in prima sanctificatione non fuit in gratia consummata, nec proinde habuit gloriam.*

1521 *Sed habuit in illa prima sanctificatione cognitionem, & amorem Dei, per quos actus se disposuit ad sanctitatem recipiendam: & hic sanctificationis modus est perfectissimus.*

S *Iis acti-*

1522 *Iis actibus Beatissima Virgo meruit sibi primam gloriam; sed non primam gratiam, quia accelleratus fuit illi vsus rationis, vt se disponeret.*

1523 *Hic vsus rationis non fuit conseruatus in Virgine; sed fuit per modum reuelationis, & motionis gratiæ; ita tamen, vt posset aliquando discurrere quoties Spiritui sancto placebat.*

1524 *Sanctificatio Beatissimæ Virginis quoad intensionem gratiæ fuit omnium perfectissima, siuè hominum, siuè Angelorum.*

1525 *Beatissima Virgo non fuit sanctificata ante rationalis animæ infusionem: repugnat autem fuisse in eo instanti sanctificatam, & originali peccato infectam, seu in originali peccato conceptam.*

1526 *Ipsa ex vi suæ conceptionis considerata fuit obnoxia peccato originali, & debitum habuit contrahendi peccatum originale.*

1527 *Beatissima Virgo fuit in primo instanti suæ conceptionis per Dei gratiam sanctificata, & ab originali peccato præseruata.*

1528 *Etiamsi Beatissima Virgo perdiderit iustitiam in primo parente; hoc tamen ipsius excellentiæ nihil derogat, quia ipsam non attigit.*

1529 *In ipsa fuit omnino extinctus fomes in prima sanctificatione: non tamen habuit originalem iustitiam; nec omnes eius effectus; sed donum gratiæ habens quoad aliquid vim illius.*

1530 *Quo fit, vt ipsa numquam habuerit fomitem in actu secundo, vel actum procedentem ex fomite, nec actum phantasiæ, vel appetitus præuenientis rationem.*

1531 *Semper ipsi fuit ablatus fomes quoad personam, nunquam tamẽ quoad naturam: vnde si concepisset filium ex viro, concepisset in peccato originali.*

1532 *Datum est illi in prima sanctificatione, vt nunquam posset peccare nè venialiter quidem, non per solos habitus infusos; sed per specialem Dei manutenentiam.*

1533 *Beatissima Virgo nullam vnquam habuit voluntatem, vel cogitationem castitati contrariam, neque concupiscentiam in appetitu, siuè voluntariam, siuè inuoluntariam.*

1534 *Nunquam etiam habuit propositum contrahendi, & consumandi matrimonium; sed à principio vsus rationis habuit firmum, & stabile propositum conseruandæ virginitatis.*

Cum

1535 *Cum primum attigit vsum rationis: edidit votum de perpetua virginitate; quod tamen eam non reddidit inhabilem ad contrahendum matrimonium.*

1536 *Deinde Diuina disponente voluntate contraxit cum Iosepho, ipso etiam virgine, verum & proprium matrimonium.*

1537 *Nouerat enim Beatissima Virgo instinctu Spiritus sancti matrimonium illud nullũ virginitati suæ allaturũ fore detrimentum.*

1538 *Conceptio eius fuit ex viro, & fœmina more cæterorum hominum: non tamen sinè miraculo & supernaturali virtute.*

1539 *Credibile autem est eius sanctissimum corpus fuisse in maxima quadam perfectione naturali, quæ potest esse in ea specie, & sexu: ideoque pulcherrimum fuit, ea tamen pulchritudine, quæ non nisi ad pudicitiam, & sanctitatem spectatores excitabat.*

1540 *Quo factum est, vt nunquam inciderit in morbum, aut corporalem ægritudinem propter optimam corporis complexionem, & summam victus moderationem: & ideo eius corpus omni prorsus corruptione, & contagione perpetuò caruit.*

1541 *Etiam in anima sortita est maximum ingenij acumen; vt facile fuerit omnes suas condiscipulas antecellere.*

1542 *Gratia Beatissimæ Virginis sæpe aucta fuit ad eum modum, quo augetur gratia ex opere operato virtute sacramenti.*

1543 *In hac vita suis actibus meruit, & consecuta est gratiæ augmentum; in alia verò beatitudinem, & eius augmentum.*

1544 *Augmentum gratiæ Virginis non perdurauit tantum vsque ad incarnationem: habuit enim triplicem gratiæ gradum: primum sufficientis in ipsa sanctificatione: secundum abundantis in incarnatione: tertium excolentis in fine vitæ.*

1545 *Hoc augmentum gratiæ Beatissimæ Virginis toto eius peregrinationis tempore perdurauit ferè continuè.*

1546 *Beatissima Virgo habuit perfectissimam vitam contemplatiuã; & totas ferè noctes in Dei cõtemplatione vigilabat, ita vt nec somno quidem ab huiusmodi contemplatione interpellaretur.*

1547 *Gratiæ Dei, vel semper, vel sæpe cooperabatur tantum quantum poterat, & quantum vocabatur, vel excitabatur.*

1548 *Sæpissimè etiam exercebat actus tũ elicitos tum etiam imperatos charitatis æqualis, vel maioris intensionis, quàm esset habitus.*

1549 *In fine vitæ ipsius gratia peruenit ad summum perfectionis, & intensionis ferè incomprehensibilis.*

1550 *Virgo Beatissima superat imperfectione, & intensione gratiæ omnes sanctos, non modo distributiuè: sed etiam collectiuè: sed hoc postremum non ita firmum est.*

1551 *Habuit in hac vita perfectam, & explicitam fidem mysteriorum fidei sanctissimæ Trinitatis, & incarnationis verbi: vnde omnes, etiam Apostolos fidei perfectionem superauit: & ideo Christum natum statim adorauit.*

1552 *Consecuta est in hac vita expressiorem cognitionem, & intelligentiam sacræ scripturæ, & rerum Theologicarum, quàm vllus sanctus vnquam habuerit.*

1553 *Hæc perfectio fuit in Beatissima Virgine, nō per solam Dei infusionem; sed per gratiam diuinam concurrente sua diligentia.*

1554 *Quamuis non habuerit supernaturalem euidentiam mysteriorū fidei saltem in habitu; credibile tamen est multorum mysteriorum habuisse euidentiam in attestante.*

1555 *Et licet in hac vita interdū aliqua nesciuerit, & paulatim multa didicerit; nunquam tamen habuit ignorantiā, quæ sit praua moralis dispositio.*

1556 *De scientijs naturalibus, & mathematicis, & similibus ea nouit, quæ necessaria erant ad scripturas intelligendas, & prudentiā comparandam, Deo inspirante, & docente.*

1557 *Beatissima Virgo habuit donum prophetiæ in suprema perfectione, & illud donum, quod habuerunt auctores scripturæ canonicæ, scilicet interpretationem sermonum & sensum scipturarum.*

1558 *Habuit præterea reuelationes angelicas iam à pueritia: & in conceptione filij habuit reuelationem, quod esset futura gloriosa super omnes choros Angelorum.*

1559 *His accessit gratia interpretationis sermonum, & discretionis spirituum, & quatuor illi gradus sermonis, scilicet sermo sapientiæ, sermo scientiæ, & genera linguarum, & omnia dona Spiritus sancti.*

1560 *Præterea gratiam habuit patrationis miraculorum ita, vt tum in vita, tum post mortem innumeris claruerit miraculis.*

1561 *Demum habuit omnes gratias gratis datas in ea perfectione, in*

qua

qua nullus Sanctorum, aut Angelorum vnquam habuit.

1562 *Beatissima Virgo, neque de condigno, neque de congruo meruit prædestinationem, aut electionem ad maternitatem Dei.*

1563 *Partim autem diuina gratia, partim suis actibus, & meritis de condigno consecuta est dispositionem, per quam fuit idonea, & digna Mater Dei.*

1564 *Hæc dispositio condigna fuit illi tantæ dignitati, non æqualitate rei ad rem; sed proportionis iuxta ordinem diuinæ sapientiæ.*

1565 *Si Beatissimæ Virgini optio data fuisset, vt eligeret quod mallet, Virginitatem, vel maternitatem Dei; probabile est hanc electuram, illam derelicturam fuisse.*

1566 *Christus secundum carnem fuit ex Virgine, & ex purissimis eius sanguinibus conceptus, & formatus: vnde ipsa merito, & propriè fuit mater Dei.*

1567 *Humanitas Christi in eodem instanti, in quo cœpit esse in rerum natura: cœpit esse vnita verbo diuino intra vterum Beatissimæ Virginis.*

1568 *Corpus Christi Domini in vtero Beatissimæ virginis, in vno instanti conceptum, vnitum, & animatum fuit, & integrum: & contrarium asserere est temerarium.*

1569 *Beatissima Virgo perfectissimè fuit mater Christi, & Dei; sed non fuit mater naturæ diuinæ, seu Deitatis nec humanitatis.*

1570 *Bene dicimus Christum productum ex Virgine; sed male dicimus esse creatum, factum, conditum, causatum, vel effectum.*

1571 *Non est dicendum Christum Dominum referri ad Virginem relatione increata, & æterna filiationis; fuit enim creata sicut relatio matris ad ipsum.*

1572 *Relatio Christi ad matrem non est diuinitatis, nec humanitatis; sed huius hominis tanquam termini à quo: & est eiusdem speciei cum alijs relationibus creatis.*

1573 *Ista relatio in morte vtriusque, tum Christi Domini, tum beatæ Virginis corrupta fuit, & restituta est in resurrectione vtriusque, & adhuc perseuerat in vtroque moraliter potius quàm physicè.*

1574 *Si verbum dimitteret humanitatem, & hæc subsisteret per suppositum humanum: hic homo esset filius Virginis, & idem filius, qui erat ante.*

Digni-

1575 *Dignitas matris Dei est multo inferior dignitate vnionis hypostaticæ, etiamsi illa excedat omnem creatam dignitatem incomparabiliter, excepta dignitate filij adoptiui; cum tamen se habeāt sicut excedens, & excessum.*

1576 *Beatissima Virgo electa est ad dignitatem matris supposito peccato, ita vt si homo non peccasset; eam nunquam habitura fuisset.*

1577 *Mariæ Virginitas in conceptione integra, & prorsus illibata cōseruata fuit, & post Christum nullum alium genuit filium.*

1578 *Etiamsi Christus Dominus conceptus sit de Spiritu sancto; tamen ipse Spiritus sanctus non potest dici eius pater, nec quoad humanitatem, nec quoad diuinitatem.*

1579 *Christus Dominus nascendo non imminuit integritatem corporalem matris; sed eam sicut antea perfectam reliquit: vnde Beatissima Virgo sine vllo dolore peperit, & concepit.*

1580 *Corpus Christi exiuit ex naturali loco, non per dilatationem pororum; sed simul existendo penetratiuè in eodem loco cum partibus corporis Beatissimæ virginis.*

1581 *Quo factum est, vt partus ille fuerit immunis ab omni sorde, nec proinde Beatissima Virgo indiguerit pacificatione legali.*

1582 *Ordinis, & matrimonij sacramenta nunquam recepit; pœnitentiam vero nullo modo dicendum est recepisse.*

1583 *Ipsa ante omnes vidit Christum resurgentem, & post eius ascensionem dum vixit, habuit similes eius apparitiones.*

1584 *Secundum legem ordinariā, si Beatissima Virgo ante Christum Dominum mortua fuisset: non fuisset visura Deum ante ipsius Domini ascensionem.*

1585 *Beatissima Virgo verè mortua fuit, & hoc negare temerarium est: non perijt autem in ipsa Christi Domini passione; sed post eius mortem vixit annos quatuordecim, vel paulo plus.*

1586 *Non perijt corporis morbo, & corruptione; sed ex vi ardentissimi amoris, & contemplationis factum est, vt paulatim corporis dispositiones reniterentur, ac proinde anima separaretur.*

1587 *Vnde sine dolore mortua est, quæ plusquam mortis dolores acerbissimos plus alijs omnibus in filij passione pertulerat.*

1188 *Post gloriosam eius mortē, Sanctissima anima protinus euolauit in cœlum: quo in transitu Beatissima Virgo non intermisit actum*

diuini

diuini amoris; sed vnus fuit contemplandi finis, & videndi principium.

1589 *Tertio post obitum die, glorioso, & immortali corpore resurrexit, & cum eo, & comitantibus Angelis super omnes angelorum choros assumpta est: de quo dubitare hoc tempore non licet.*

1590 *Hic omnes beatos tam angelos, quàm homines puros superat gloria, tum essentiali, tum accidentali, & videt in verbo quicquid vident omnes beati supradicti, tam seiunctim, quàm collectim.*

1591 *Vidit Beatißima Virgo in verbo quicquid videt Deus scientia visionis, ijs exceptis, quæ spectāt ad internos actus animæ Christi*

1592 *Habet autem aureolam excellentißimam Virginitatis, & martyrij, & fortasse etiam doctoratus; nisi sexus impediat.*

1593 *Beatissima Virgo adoranda est cultu religioso; non est autem per se adorabilis adoratione latriæ: vnde nec isto modo adorari debet*

1594 *Est autem per se adorabilis adoratione hyperduliæ, quæ differt specie ab adoratione duliæ.*

1595 *Beatissima Virgo non est causa principalis nostræ salutis, gratiæ, & aliorum bonorum, & remissionis peccatorum; sed solus Deus.*

1596 *Neque vero quicquam nobis de condigno meretur, vel meruit vnquam; sed tantum de congruo.*

1597 *Oratio ad Sanctissimam Virginem, vt sit efficax, & Deo grata; debet fieri in Christo, & per Christum.*

1598 *Beatissima Virgo quamdiu vixit in mortali corpore, orauit & nunc orat pro salute hominum petens singulis, & obtinens ingentia beneficia; & in hoc munere omnium sanctorum efficaciam, & charitatem superat.*

1599 *Si Beatissima Virgo peteret aliquid à Deo, et omnes Sancti cōtrarium peterent (quod tamen accidere non potest) plus apud Deum posset Beatissimæ Virginis, quàm ceterorum sanctorum omnium oratio.*

1600 *Ergo Beatissima Virgo plus omnibus sanctis hominibus, & Angelis tum distributiue, tum collectiuè à nobis adorari debet.*

DE VTRIVSQVE LEGIS SACRAMENTIS IN VNIVERSVM.

1601 SACRAMENTI *nomen de iureiurando sacro mysterio, & signo rei sacræ merè æquiuocè prædicatur.*

1602 *Sacramentum vltimo modo sumptum definitur sic. Est rei sacræ, vt suscipientem simpliciter sanctificantis signum sensibile, religiosum, diuinitus determinatum, practicum: & hæc definitio dicitur æquiuocè de sacramentis Mosaicæ, & Euangelicæ legis.*

1603 *Ad conficiendum sacramentum, opus est quibusdam verbis non concionalibus, sed cæremonialibus, quæ sunt de essentia sacramenti, & diuinitus instituta; ita vt ea non sit permissum Ecclesiæ mutare substantialiter.*

1604 *Sacramenti quidem materiam dicimus res, quo nomine comprahendimus etiam actum practicum: formam verò dicimus verba quibus conficitur sacramentum; non quantum ad sonum ipsorũ; sed quantum ad significationem.*

1605 *Quocunque modo verba addantur, minuantur, vel transponantur, vel interrumpantur: dummodo non immutetur locutionis sensus, & veritas actionis tollatur; valide conficitur sacramentum.*

1606 *Si genus humanum in dono gratiæ, & iustitiæ sibi collatæ perseuerasset: suam in Deum fidem, & subiectionem ostendisset adoratione, genuflexione, laudibus, & hymnis: exercuisset etiã actus amicitiæ tẽperantiæ, & ciuilis collocutionis, non tamẽ liberalitatis.*

1607 *Et tunc si fuissent sacramenta aliqua, non omnino fuissent inutilia; eorum tamen vtilitas tàm modica fuisset, vt absolutè dicendum sit, nulla futura fuisse sacramenta, nec ad peccata tollenda, nec ad animam, aut perficiendam, aut ornandam.*

1608 *Quòd si in eo statu Christus Dominus incarnatus fuisset; decuissent aliqua sacramenta, Matrimoniũ, Eucharistia, Baptismus, vel certè aliquid baptismo proportionale, ac proinde fuisset sacrificium missæ: nullum præterea aliud, nec templa, nec sacerdotes, nec diuini verbi concionatores.*

Post

1609 *Post lapsum naturæ humanæ tùm demum fuerunt necessaria sacramenta, cum naturale lumen intellectus ita obtenebratum fuit, vt præcepta legis naturæ ad bene viuendum, & credendum satis non essent; sed noua lege nouisque signis opus esset; quod Abrahæ tempestate accidit: ideoque tunc instituta sunt aliqua sacramenta.*

1610 *Inter illa autem, & sacramenta legis Euangelicæ hoc potissimum interest, quòd illa erant gratiæ sanctificantis signa, non causæ: hæc verò & sunt signa, & causæ propriè dictæ.*

1611 *Immediatè post lapsum Adæ ad salutem simpliciter fuit necessaria fides in Messiam, siue Mediatorem; ita vt ex eo tempore vsque ad sæculi consummationem nulli homini salus nisi per hanc fidem contingat.*

1612 *Hæc fides ante Abrahamum fuit sub præcepto supernaturali quidem; sed quod quisque facta reuelatione, & data à Deo gratia assentiendi: seruare posset absque supernaturali lumine superaddito*

1613 *Hæc lex naturalis iubebat Dei cultum interiorem; & huius fidei professionem per externa, & sensibilia signa, nullo præscripto sacrificij, vel professionis ritu, ac modo; sed id quisque, vt ratio dictabat, faciebat.*

1614 *In eo tamen statu aliquibus eximiæ sanctitatis, & principibus viris Deus Opt. Max. instinctu prophætico, ac reuelatione præscripsit, ac determinauit certam sacrificiorum normam, quæ inde emanauit ad posteros.*

1615 *Et quanuis sacramenta legis Mosaicæ non essent causa gratiæ, & iustitiæ; qui tamen sub ea lege nati sunt, & vixerunt; tanto dono minimè caruerunt.*

1616 *In illis enim iustitiæ, & gratiæ causa fuit fides, quam habebant in Deum, & futurum Messiam; informis quidem fides gratiæ & iustitiæ informis & inchoatæ; formata verò perfectè, & completæ.*

1617 *Hæc tamen fides siuè informis esset, siuè formata per charitatem nihil ipsis cenferebat; nisi accederent sacramenta cum erant possibilia.*

1618 *Conferre gratiam ex opere operato ita proprium est sacramentorum legis Euangelicæ, vt id neque sacramenta veteris legis, neque opera Euangelicæ facere possint.*

T *Quam-*

1619 *Quamquam sacramenta Mosaicæ legis ex opere operato significabant gratiam, & mysteria Christi Domini conferebant remissionem pœnarum, & mundabant suscipientes secundum carnem liberando eos ab irregularitate.*

1620 *Hinc factum est, vt sacramenta legis antiquæ inæqualem Iudæis gratiam pro cuiusque affectu, & deuotione conferrent; Euangelica verò sacramenta quantum est ex se, æqualem omnibus Christifidelibus impertiantur.*

1621 *Quemadmodum in antiqua lege fides erat causa gratiæ, sacramẽta verò conditio sine qua eam adipisci non poterant; ita in Euangelica lege sacramenta sunt gratiæ causa; fides vero conditio sine qua non.*

1622 *Infantibus, quibus in antiqua lege fides deerat, gratia conferebatur non ex vi sacramenti; sed ex vi fidei synagogæ, quæ illi gratiam de congruo non de condigno merebatur.*

1623 *Sacramanta nouæ legis attingunt gratiæ productionem per virtutem realem, idest potentiam operatiuam ipsis à Spiritu sancto infusam.*

1624 *Sacramenta legis Euangelicæ sunt causæ morales iustitiæ, non tantum sine quibus; sed etiam per quas; in quo vel maxime eorum præstantia, & gloria Christi Domini elucescit.*

1625 *Et in his esse physicam causalitatem est consentaneum scripturæ, & sanctis Patribus: contrarium tamen asserere, nec hæreticũ est, nec temerarium.*

1626 *Vnicuique sacramentorum nouæ legis triplex significandi vis inest: nam dominicæ passionis, & mortis quæ præteriјt nos admonet, & gratiam cœlestem nobis tunc cum confertur infusam declarat & vitæ æternæ quam per illud consecuturi sumus, indicium præbet.*

1627 *Repugnat simpliciter sacramenta per solam Dei ordinationem extrinsecam esse causas reales, & physicas gratiæ, non accepta ab ipso virtute reali, & supernaturali.*

1628 *Neque minus repugnat vt hæc virtus sacramentalis, & miraculosa communicetur cuicunque creaturæ, etiam Angelo per modum habitus permanentis.*

1629 *Hæc eadem virtus in nullo prædicamento directè collocari po-*

test, nec

test, nec ad vllum reduci: nisi ad secundam speciem qualitatis, nimirum potentiam.

1630 *Hæc virtus est causa gratiæ, nec propriè vniuoca, nec propriè æquiuoca: vel si æquiuoca est; est diminutè, & carens conditionibus causæ æquiuocæ.*

1631 *Per hanc virtutem sacramentum, & is per quem, miraculorum est instrumentum diuinæ potentiæ non completæ, & simpliciter: sed incompletè, & secundum quid.*

1632 *Hæc virtus non est propriè loquendo incorporea; eo tamen modo quo est; est incorporea tum terminatiuè, tum substantialiter, & est tota in toto sacramento, & tota in qualibet parte illius assignata.*

1633 *Ad opera sacramentalia, & supernaturalia, non est opus contactu physico, nec mathematico; sed virtuali, vt scilicet cum agente sit talis virtus, vt ex eo sequatur effectus.*

1634 *In huiusmodi operibus nullo opus est medio, & nonnunquam satis est vt agens supernaturale tangat suppositum, etiamsi non tangat partem; quæ verè recipit actionem.*

1635 *Operatio sacramentorum non durat toto tẽpore, quo verba proferuntur, neque mensuratur instanti temporis discreti, neque vltima parte motus, & prolationis verborum, nec in instanti extrinseco motus.*

1636 *Sed si accipiamus vltimam literam verborum essentialium, & in illius literæ prolatione vltimum naturale; in illo Deus concipit vltimum indiuisibile, in quo producit gratiam.*

1637 *Sacramentum non est in causa gratiæ, vt qui illud sumit, assumatur à Deo tamquam obiectum sui amoris: neque verò gratia propriè educitur de aliqua potẽtia, nec propriè creatur; sed eius productio vel est eminenter eductio, vel eminenter creatio.*

1638 *Et quamuis gratia verè, ac propriè crearetur; adhuc tamen nõ est demonstratum sacramentum non posse concurrere instrumentaliter ad ipsius productionem.*

1639 *In supernaturalibus operibus tam sacramentalibus quàm miraculosis, nec est necesse, nec probabile vt instrumentum agat per propriam actionem; sed vtrunque suppletur per virtutem, à Deo impressam.*

1640 *Sacramenta præter gratiam virtutum, & donorum Spiritus sancti addunt gratiam specialem, quam sacramentalem vocamus, ordinatam ad speciales actus necessarios vitæ Christianæ.*

1641 *Hæc gratia sacramentalis propriè, & directè respicit naturæ corruptelam, & ad illam per sacramenta sanandam, & purificandam ordinatur.*

1642 *Hæc eadem non consistit in gratia propriissimè sumpta, nimirum iustificante; sed in gratia sumpta propriè, vel largè quæ consistit in charactere, satisfactione rigida, & motu animæ.*

1643 *Estque in sacramentis nouæ legis non sicut accidens in subiecto, neque sicut liquor in vase, neque sicut effectus in causa vniuoca, vel æquiuoca; sed tanquam effectus in causa instrumentali.*

1644 *Sacramenta veteris legis sortita sunt virtutem à passione Christi Domini tanquam finem, in quantum eam præsignificabant: sacramenta autem Ecclesiæ virtutem suam acceperunt à latere Christi Domini pendentis in Cruce tanquam causa efficiente.*

1645 *Characterem imprimere non fuit datum sacramentis veteris legis; sed est donum peculiare sacramentorum Ecclesiæ quo fideles distinguūtur ab infidelibus, vel inter sese secundun specialia munera, ad quæ deputantur.*

1646 *Temerarium est asserere characterem esse ens rationis, idest esse tantum id, quod resultat ex deputatione fidelium ad ministeria spiritualia per nudam Dei electionem.*

1647 *Si prædicamenta non sunt diuisa differentijs contradictoriis: potest fingi vndecimum prædicamētum supernaturalium; ad quod omnia supernaturalia reducantur, consequenter character.*

1648 *Sin autem prædicamenta sunt diuisa differentijs contradictoriis, ita vt nihil medium inter illa cadere possit: character debet esse in aliquo determinato prædicamento: si non physico; saltem logico.*

1649 *Character non est respectus, nec relatio extrinsecus adueniens, neque potentia, aut habitus formaliter actiuus, neque est causa gratiæ nec instrumentalis, nec principalis.*

1650 *Neque verò potest esse in corpore tanquam in subiecto; cum sit signum spirituale; neque in vlla potentia corporea; sed in anima intellectiua: & quanquam gratia iustificans est in essentia animæ; cha-*

mæ; character tamen est in potentijs tanquam in subiecto.

1651 *Ipsi autem animæ ita arctè inhæret: vt ab ea deleri à nullo possit, nisi ab eo cuius sacerdotij participatio est.*

1652 *Si possibile est communicari homini characterem qui sit actiuus formaliter; non video cur sit impossibile communicari etiam Christo Domino aliquam virtutem creatam, seu excellentiam, vel qualitatem.*

1653 *Quanquam minor sit necessitas huius virtutis, & potestatis creatæ in Christo Domino, quam gratiæ operatiuæ, quæ fit per Theologales virtutes, & per scientiam infusam.*

1654 *Character est habitus formaliter dignificatiuus subiecti, & actiuus conuentionaliter: non est autem habitus, aut potentia formaliter actiua.*

1655 *Repugnat igitur Christum Dominum habere characterem; potestas enim illius comparatur ad characterem, sicut id, quod est per essentiam plenum, & perfectum, ad id quod est per participationem sui.*

1656 *Inter sacramenta nouæ legis, hæc tria imprimunt characterem sumenti; Baptismus Baptismalem: Confirmatio Chrysmalem: Ordo Ordinarium; qui characteres specie inter se distinguuntur.*

1657 *Christus Dominus non potest auctoritatem instituendi sacramenta, quàm habet vt Deus communicare vlli creaturæ.*

1658 *Potestatem autem excellentiæ, quàm habet vt homo non potuit vlli creaturæ communicare de rigore iustitiæ; sed tantum supposita gratia vel collata dependenter à merito Christi Domini, vel absolutè à Deo.*

1659 *Eandem potestatem supposita gratia nulli Deus communicauit, nec cum ipsius exercitio, nec sine illo.*

1660 *Negare hæreticum, aut peccatorem publicum posse conficere, & ministrare sacramenta hæreticum est; quanquam sacerdos ministrans sacramenta dum existit in peccato mortali, peccat mortaliter, tum ratione irreuerentiæ, tum ratione actionis mysticæ.*

1661 *Temerarium est asserere ad sacramentum conficiendum necessarium esse intentionem ministri, quæ cadat super formam, & materiam, & non esse necessarium intendere facere quod facit Ecclesia.*

Solus

1662 *Solus Deus operatur vt causa principalis ad effectum interiorem sacramentorum: sacramenta autem & homines operantur tantum instrumentaliter; Christus autem Dominus secundum quod homo operatur efficienter; sed instrumentaliter, & meritoriè principaliter.*

1663 *Omnia sacramenta tam nouæ quàm antiquæ legis sunt instituta diuinitus quoad ea quæ illis sunt essentialia: ceremoniæ verò, & solemnitates sicut ab Ecclesia sunt institutæ, ita ab ea possunt immutari, & deleri.*

1664 *Potestas principalis Christi Domini in quantum hominis, consistit in quatuor: primo quia meritum, & virtus passionis ipsius in sacramentis operatur: secundo quia in eius nomine sacramenta sanctificantur: tertio quia potuit instituere sacramenta: quarto quia effectum sacramenti sine sacramento nobis potuit communicare.*

1665 *Fides ministri non est de necessitate sacramentorum; deuotio autem illius, non operatur effectum sacramenti in suscipiente.*

1666 *Qui ab infideli accipit sacramentum cum peccato; sacramentum quidem accipit; sed non gratiam sacramentalẽ quoadusq; per pænitentiam purgetur; nisi excusetur ex ignorantia: idem dicendum de accipiente sacramentum ab excommunicato, seu suspenso.*

1667 *In casu tamen necessitatis licet accipere sacramentum tum ab infideli, tum ab excommunicato, seu suspenso, & hic tenetur ministrare sacramentum; alioquin mortaliter peccat.*

1668 *Quamdiu minister Ecclesiæ, qui est in peccato mortali sustinetur ab Ecclesia; subditus eius non solum non peccat accipiendo sacramenta ab ipso; sed ad id aliquando tenetur.*

1669 *Sacramenta veteris legis erant quoad omnes tria; Circuncisio, esus agni paschalis, & expiatio seu purificatio à quibusdam immunditijs. Quoad ministros etiam erant tria, consecratio sacerdotum, oblatio victimarum, esus panum propositionum.*

1670 *Et si sacramenta nouæ legis conferunt gratiam; sacramentalia tamen non conferunt; sed remouent dispositiones, & impedimenta contraria gratiæ: & ideo quò frequentius multiplicantur, eò magis eradicantur contrariæ dispositiones.*

1671 *Sacramenta nouæ legis sunt septem, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Matrimoniũ, Sacer ordo, Extrema vnctio*

Inter

1672 *Inter hæc ratione effectus; maximus est Baptismus: ratione ministri; Confirmatio, & Ordo: ratione contenti; Eucharistia: ratione significationis; Matrimonium: simpliciter autem Eucharistia est potissimum omnium.*

1673 *Simpliciter necessaria sunt tria sacramenta, duo quidem vnicuique fideli, scilicet Baptismus, & Pœnitentia supposito actuali mortali peccato post Baptismum; Ecclesiæ autem; Ordo sacer: reliqua sacramenta sunt necessaria ad bene esse.*

1674 *Possent tamen tam beati, qui sunt in cœlo, quàm qui in purgatorio detinentur, & inferno demersi sunt, ministrare sacramenta, quia character est indelebilis.*

1675 *Ad conficiendum validè sacramẽtum, necessaria est intentio ministri habitualis virtualis, habitualis autem sola non sufficit.*

DE BAPTISMO.

1676 IN BAPTISMO *aqua potest applicari immergendo, effundendo, aut aspergendo: quod si Sacerdos immergendo dicat: ego te aspergo; vel è contra, mentitur, & peccat mortaliter.*

1677 *Et quamuis decentissimum sit Baptismum trina mersione, aut aspersione, aut effusione absolui; si tamen omittatur; Baptismus est validus: ideoque potest ab Ecclesia institui vnica mersio.*

1678 *Quando Baptismus fit per trinam mersionem, gratia baptismalis confertur tantum peracta trina mersione: quod si quis in prima mersione proferret totam formam; illa tantum peracta, conferretur gratia.*

1679 *Non est necessarium ad valorem sacramenti, vt prolatio verborum applicetur simul cum materia simultate mathematica; sed satis est si simul fiant secundum vsum humanum.*

1680 *Si quis culpabiliter non abluat caput, accedente scandalo, peccat mortaliter: ad valorem tamen baptismi necesse est abluere aliquam magnam corporis partem: quòd si dubium sit an abluta dici possit; baptismus iterandus est sub conditione.*

1681 *Ad valorẽ baptismi necesse est exprimere Trinitatem, & singulas eius personas, et hoc mõ apostolos baptizasse probabilius existimo*

Si quis

1682 *Si quis dicat Ego baptizo te in nominibus Patris, & Filij, & Spiritus sancti, certum est non tenere baptismum: At si quis dicat in nomine genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque; puto non esse rebaptizandum.*

1683 *Etiamsi ordinarius Baptismi minister sit Episcopus, & Presbyter; tamen ex concessione Episcopi, vel Presbyteri, rationabili de causa potest Diaconus validè, & licitè baptizare.*

1684 *Immò verò etiam Laicus, & hæreticus, & infidelis si adsint cæteræ conditiones; potest validè baptizare.*

1685 *Fœmina coram viro, Laicus coram Clerico, Diaconus coram Presbytero baptizans, peccant mortaliter extra casum extremæ necessitatis.*

1686 *Si vnus applicet aquam, alter verò formam proferat: Baptismus non tenet: quòd si duo proferant formam, & applicent materiam, non simul, primus solus baptizat.*

1687 *Si duorum quisque intendat se baptizare particulariter; ambo autem totaliter: aut si duo, vel simul, vel successiue eundem baptizent conditionaliter; Baptismus non valet.*

1688 *Si quis dicat nos idest ego amborum vicem gerens, non tenet baptismus; tenet autem si dicat, nos te baptizamus more Episcoporum, aut vos baptizamus si esset filius Regis.*

1689 *Negare infantibus baptismum, aut dicere illis per Baptismum non tolli peccatum originale; sed tantum disponi ad intrandum regnum cœlorum, hæreticum est.*

1690 *Etsi infans penderet ab vtero matris, in nullo tamen casu mater esset occidenda.*

1691 *Si puer petat baptismum, & dubium sit an vsum rationis attigerit, debet baptizari: in hoc autem non est respiciendum tempus; sed ingenium ipsius.*

1692 *Ad accipiendam gratiam baptismalem pro adultis, necessaria est pœnitentia, non confessio, neque contritio; sed saltem attritio: neque omnium peccatorum actualium; sed saltem debet remouere complacentiam omnium peccatorum mortalium.*

1693 *Gratia Baptismalis obtinet vim remittendi peccata quoad culpam, & pœnam: contritio vero quoad culpam tantùm.*

1694 *Baptismus Ioannis fuit à Deo per auctoritatem institutus, à*

Ioanne

Ioanne autem tanquam ministro: ita vt nullus alius illud Baptisma ministrare potuerit.

1695 *Eius suscipiendi nullum erat in sacra scriptura præceptum: erat enim tantum præparatio ad Baptismum Christi Domini per professionem, & impositionem pœnitentiæ.*

1696 *Baptismus Ioannis nec gratiam, nec remissionem peccatorum conferebat, nec characterem imprimebat, illi verò, qui à Ioanne baptizati fuerant, tenebantur recipere Baptismũ Christi Domini.*

1697 *Baptismus Ioannis non cessauit baptizato Christo Domino; sed ipso decollato: non enim erat alius eius Baptismi minister.*

1698 *Hæreticum est asserere Baptismum conferre impossibilitatem peccandi delet enim peccatum originale, & fomitem concupiscentiæ imminuit, hic tamen non est peccatum.*

1699 *Per Baptismum infunditur gratia iustificans cum spe, fide, & charitate; cæteras verò virtutes si non sint, infundit; si sint, auget.*

1700 *Gratia iustificans, quæ per Baptismum ex opere operato confertur, in omnibus est æqualis; inæqualitas igitur gloriæ prouenit ex inæqualitate meritorum.*

1701 *Quocirca paruuli baptizati omnes æqualem gratiam consequuntur, & gloriam.*

1702 *Baptismus est triplex flaminis, sanguinis, fluminis, quorum perfectissimus absolutè est Baptismus sanguinis.*

1703 *Ad iustificationem paruulorum in lege naturæ erat necessaria fides parentum, vel certe alterius illorum siuè actu, siue habitu, siue informis, siue formata.*

1704 *Cum fide parentum necessaria erat cæremonia externa, qua applicaretur fides parentum ipsi paruulo: hæc autem cæremonia non erat sacrificium, nec aliqua lege determinata, sed humana electione sponte assumpta.*

1705 *In lege Mosaica sicut masculis per circuncisionem fides applicabatur: ita fæmellis per aliquam cæremoniam; externam qua illis applicabatur fides parentum.*

1706 *Qanquam Baptismus ante passionem Christi Domini non erat necessarius necessitate medij, adhuc enim pollebat circuncisio; tamen ante passionem institutum fuisse firmiter credimus.*

V Neque

1707 *Neque vero existimo institutum fuisse in Iordane, neque diuersis temporibus secundum diuersas ipsius proprietates; neque in sermone habito cum Nicodemo.*

1708 *Quanquam enim constat Baptismum institutum fuisse post prædicationem Euangelij, & ante colloquium Domini cum Nicodemo: quo tamen articulo temporis institutus fuerit non habemus.*

1709 *Legalia, & cæremonialia sacramenta legis antiquæ amiserunt omnem virtutem tum obligandi tum sanctificandi in triduo mortis Christi Domini.*

1710 *Post triduum autem hæc sacramenta omnibus quidem mortua fuerunt; sed non omnibus mortifera; verum ijs tantum, qui audierunt prædicationem Euangelij.*

1711 *Baptismus post mortem Christi Domini ante Pentecostem fuit sub præcepto quibusdam formaliter; quibusdam virtualiter, quibusdam neutro modo: post Pentecostem vero obligauit omnes.*

1712 *Etsi Baptismum esse irreiterabilem non conuincitur manifeste ex sacra scriptura: negare tamen est hæreticum, & iterator Baptismi absque probabili dubio peccat mortaliter.*

1713 *Si quis non credens in Iesum Christum baptizetur, & voluntariè: accipit quidem characterem; sed non gratiam baptismalem, quousque credat.*

1714 *Etsi quis baptizatus est baptismo flaminis, consecutus est emundationem à peccatis; accipiens tamen baptismum fluminis, consequitur maiorem gratiam.*

1715 *Baptismus sanguinis liberat ab omni culpa tàm originali, quàm actuali, & ab omni pœna per virtutem passionis Christi, cui conformatur: sed non imprimit characterem; sicut nec baptismus flaminis.*

1716 *Baptismus sanguinis includit Baptismum flaminis, & Baptismus fluminis includit vtrunque; illi vero non sunt sacramenta; sed hic solum.*

1717 *Baptismus superat circuncisionem significatione, efficacia, vtilitate, & vniuersalitate in populo, sexu, tempore.*

DE

1718 Impositio manuum Apostolorum non erat professio fidei, aut oblatio in Deum, ideoque non erat verè sacramentum: per eam tamen fideles recipiebant Spiritum sanctum.

1719 Impositio manuum Episcoporum æquipollet illi, nisi quod tunc Spiritus sanctus visibiliter accipiebatur, nunc autem inuisibiliter.

1720 Hoc sacramentum immediatè institutum fuit à Christo Domino non sola permissione: sed positiuè, & hoc de fide est. fuit autem institutum quando manus imposuit super pueros non exhibendo; sed promittendo, perfectè autem in Cœna Domini post pedum lotionem

1721 Hoc sacramentum pro materia remota habet oleum oliuarum cum balsamo; balsamum tamen non est de essentia, debet autem oleum esse benedictum; & hæc benedictio est de essentia sacramenti: materia proxima est vnctio.

1722 Forma verò est: Consigno te signo crucis; & confirmo te Chrysmate salutis; In nomine Patris, & filij, & Spiritus sancti Amen. Res sacramenti est collatio plenitudinis gratiæ & Spiritus sancti distinctæ à gratiæ baptismali, per quàm habetur robur ad pugnam spiritualem.

1723 Quanquam confirmatio non est sacramentum de necessitate salutis; sed est necessarium quoad bene esse vitæ spiritualis, tamen contemptus huius sacramenti est periculosus, immò ex se peccatum.

1724 Ordinarius minister confirmationis est Episcopus; ex priuilegio tamen, & dispensatione Summi Pontificis potest esse simplex Presbyter, non autē Diaconus, solum enim Presbyter potest vngere in vertice non fronte.

1725 Forma Chrysmatis, vt iacet in Pontificali Romano non est de iure diuino: quocirca potest ab Ecclesia immutari, certum est autem non posse ab ea deleri signum sanctißimæ Crucis.

1726 Gratia collata per Chrysma, est propugnaculum credenti contra ineuidentiam creditorum, rationes naturales, hæreses, discrepantes doctorum opiniones, promißionem futurorum, persecutionem Tyrannorum.

1727 De fide est Chrysma collatum in alia quauis corporis parte quàm

fronte non valere, non enim significat quod agit, scilicet liberam Christi Domini nominis confessionem.

1728 *Rationabilior est consuetudo Ecclesiæ Romanæ confirmandi pueros post vsum rationis: si tamen in aliqua regione vetus infantes confirmandi ritus adhuc durat, non est damnandus nec tollendus.*

1729 *Surdi & muti absolutè sunt chrysmandi, amentes verò in lucidis interuallis, aut amentia durante, si dum haberent lucida interualla Chrysma petierunt.*

1730 *Confirmandus debet duci ab aliquo confirmato cuiuscunque sexus sit, vel ætatis, & conditionis, & status, etiam si sit moribundus, hoc autem non est de essentia sacramenti.*

1731 *Christus Dominus nec suscepit sacramentum confirmationis; nec suscipere debuit: gratiam enim sacramentalem habebat, & cũ dux esset non erat opus ducis insignibus.*

1732 *Tam confirmans, quàm confirmandus debent esse in gratia, & debent esse confessi, & ieiuni de consilio, non de præcepto; nullus autem consequitur confirmationis effectum absque voto ipsius.*

1723 *Confirmati in cœlo maiorem habebunt gloriam, ideoque confirmatio ministrari debet etiam moribundo.*

1734 *Tanta est gratiæ Spiritus sancti plenitudo, quæ fidelibus per Confirmationis sacramentum confertur; vt antiquæ legis sacramenta huius ne figura quidem esse digna fuerint.*

DE EVCHARISTIA.

1735 EVCHARISTIAE *Sacramentum est sacramentum sacramentorum, ad quod omnia alia ordinantur, estque mysterium mysteriorum legis Euangelicæ.*

1736 *Est autem sacramentum etiam ante sumptionem dum asseruatur in pyxide, & hoc de fide est, quanquam non est sacrificium quousque ab aliquo sumatur.*

1737 *Definitur autem sic, sacramentum Eucharistiæ est sacramentum sanguinis, & corporis Christi Domini sub speciebus panis, & vini in alimoniam spiritus.*

Adultis

1738 *Adultis quidem necessaria est Eucharistia in voto sicut baptismus: paruuli autem votum Eucharistiæ habent habituale dum actualiter baptizantur.*

1739 *Hoc sacramentum licet sit plura materialiter, tamen est vnum formaliter per ordinem ad vnum effectum, scilicet perfectam refectionem spiritualem, quæ constat ex cibo, & potu.*

1740 *De præcepto Ecclesiæ tenentur sacerdotes sumere sacramentum sub vtraque specie, si quis autem solam panis speciem consecraret, validè conficeret.*

1741 *Non potest Sacerdos consecrare minus minimo naturali si sit separatum à reliquo pane; si vero sit coniunctum, potest, dummodo cum illo consecret reliquum panis.*

1742 *Si Sacerdos intendat consecrare aliquam partem; non determinando hanc, vel illam partem; nullam consecrat: si vero intendat consecrare omnes partes præsentes, non est opus scire numerum.*

1743 *Materia consecranda debet esse præsens consecranti moraliter, vt communiter sumitur, etiamsi nec tangatur, nec videatur, dummodo non tam longe ab eo absit, vt si videre posset, non videret.*

1744 *Non potest Sacerdos posita coram hostia dicere volo consecrare omnes partes proportionales pares, non impares, vel aliquid simile.*

1745 *Probabilior est consuetudo Ecclesiæ Latinæ conficientis sacramentum ex pane azymo, quàm Græcæ conficientis ex pane fermentato.*

1746 *Quemadmodum Latinus peccat consecrando panem fermentatum ita, etiam peccat Græcus conficiendo panem azymum, idemq; dicendum de alijs Ecclesijs.*

1747 *Materia huius sacramenti est vinum ex vite potabile non tamen mixtum, vt mixtio soluat eius speciem, quare mustum, vinum acidum, & parum congelatum potest consecrari validè; sed non licitè, nisi in casu necessitatis.*

1748 *Aqua in consecratione non manet impermixta, neque mutatur in vinum, & mox vinum in sanguinem; sed aqua & vinum, immediatè mutantur in sanguinem Christi Domini.*

1749 *Hæreticum est asserere confici debere, vel cum sola aqua vel cum*

cum solo vino, licet mixtio aquæ, & vini non sit de essentia sacramenti.

1750 *Christus Dominus confecit sacramentum Eucharistiæ ex pane azymo feria quinta vesperi, qua nocte captus fuit, eo enim anno incidit festum paschæ in sextam feriam.*

1751 *Ex principijs creditis & ex locis Theologicis manifeste colligimus esse possibile vt idem corpus sit simul in cœlo, & in terra.*

1752 *Enti, vt enti secundum veram philosophiam non repugnat esse totum simul extra se totum absque sui diuisione.*

1753 *Non repugnat idem numero corpus esse in pluribus locis inter se distantibus in vno quantitatiuè, in altero incircunscriptiuè in philosophia, immò etiam in vtroque loco circunscriptiuè.*

1754 *Conuersio concurrit ad corpus Christi Domini ponendum in sacramento non formaliter; sed tanquam causa efficiens: quare Deus potest ponere corpus Christi Domini in sacramento sine conuersione*

1755 *Hæreticum est asserere in hoc sacramento cum substantia corporis Christi Domini manere substantiam panis, & sub specie vini cum substantia sanguinis remanere substantiam vini.*

1756 *Hæreticum est etiam asserere in sacramento manere substantiam panis vnitam verbo hypostaticè, siue id mediante humanitate, siue sine illa fieri dicatur.*

1757 *Negare hoc corpus Christi Domini quod est in sacramento esse natum ex* MARIA VIRGINE, *& passum in Cruce; sed esse factum ex pane hypostati è assumpto, hæreticum est.*

1758 *Permanentia materiæ non est de ratione conuersionis formali, & quidditatiua: huic autem conuersioni sacramentali ita repugnat huiusmodi permanentia, vt eam ponere sit hæreticum.*

1759 *Substantia panis, & vini quæ desinit esse non resoluitur in materiam primam, nec in materiam præiacentem, nec in aliud mixtũ, neque vero dicitur annihilata; quia terminatur in aliquod positiuũ.*

1760 *Mutatio per quam corpus Christi Domini ponitur in sacramento; non est simpliciter vlla species mutationis naturalis; sed est mutatio singularis, & ineffabilis continens, & participans eminenter aliquid de singulis.*

1761 *Ista actio propriè, & simpliciter dicitur transubstantiatio, & sacramentalis mutatio, est autem transubstantiatio transitus à tota substan-*

ta substantia in totam substantiam ex eius vi naturaliter sequitur vnum fieri ad alterius desitionem, & esse vbi alterum fuit.

1762 *Impossibile est panem existentem in altari conuerti in corpus Christi vt existens in cœlo: immò verò etiamsi species panis eius substantia corrupta in cœlum transferatur, & circum velaret corpus Christi Domini, non conuerteretur.*

1763 *Si conuersio sumatur pro sola panis destructione; sic non est ratio præsentiæ Christi Domini in altari; si verò sumatur pro actione afficienti panem & Christi Domini est causa præsentiæ illius.*

1764 *Hæc propositio panis est corpus Christi Domini in rigore sumpta, & in sensu composito est hæretica, sicut hæc panis potest esse corpus Christi Domini; in sensu tamen diuiso est Catholica.*

1765 *Bene dicimus panem transire in corpus Christi Domini; sed magis propriè dicimus de pane, siue ex pane fieri corpus Christi Domini.*

1766 *In sacramento Eucharistiæ est Christus Dominus secundum se totum sub vtraque specie, partim quidem ex vi sacramenti; partim verò secundum concomitantiam.*

1767 *In specie panis est corpus Christi Domini ex vi sacramenti; anima autem, & diuinitas per concomitantiam; in specie vini est sanguis ex vi sacramenti; corpus verò, anima, & diuinitas per concomitantiam.*

1768 *Si quis in triduo mortis Christi Domini consacrasset; tūc sub specie panis fuisset solum corpus Christi Domini; sub specie vini solus sanguis, non corpus nec anima.*

1769 *Corpus quod per se terminat conuersionem non est materia prima cum modo quantitatiuo, sed cum organica dispositione includente quantitatem, et figuram naturalem secundum dispositiones qualitatiuas naturales, terminus autem primarius conuersionis est tantùm quid substantiale.*

1770 *Corpus Christi Domini vt est in sacramento nihil addit supra ipsum, vt est in cœlo, nisi purum respectum simplicis coexistentiæ ad species, & ad locum specierum.*

1771 *Esse sacramentale corporis Christi Domini nullo modo dependet ab esse ipsius in cœlo: immò destructo per Dei potentiam esse naturali in cœlo posset perseuerare esse sacramentale; & potuisset pone- re illud*

re illud in sacramento ante incarnationem, & organizationem.

1772 *Corpus Christi Domini est in hostia secundum figuram rectam, & mota localiter hostia mouetur localiter: circunuoluta autem hostia non circunuoluitur.*

1773 *Ipsum corpus Christi Domini dentibus frangitur, secatur, atteritur; quatenus hæ mutationes dicunt solum motum localem sine vlla alteratione, quæ quidem cadit in solas species.*

1774 *Christus Dominus est in hostia finities multiplicatus; & toties quot partes sunt in hostia aptæ designari per realem & actualem designationem: quod si centies designes, erit centies multiplicatus; & rursus addas duas; erit in illis duabus sine noua sui productione.*

1775 *Si accipiamus in Christi Domini corpore punctum indiuisibile, in quo diximus esse Christum Dominum; id quod immediatè sequitur non est punctum; sed continuum, in cuius quolibet puncto assignato est totus Christus Dominus.*

1776 *Hæreticum est negare Christum Dominum esse in qualibet parte hostiæ post eius diuisionem, seu fractionem.*

1777 *In sacramento Eucharistiæ est realis quantitas dimensiua corporis Christi Domini, per quam illud est diuisibiliter in ordine ad se, in ordine partium ad partes, & partium ad totum; indiuisibiliter verò in ordine ad species sacramentales, seu ad locum illarum.*

1778 *Corpus Christi Domini vt est in cœlo nullo modo mouetur: vt autem est in sacramento mouetur non per se; sed per aliud ad motum scilicet specierum.*

1779 *Etiamsi Christi Domini corpus cœpisse esse in instanti in sacramento de fide sit, tamen non repugnat desinere esse in illo successione temporis; & tunc erit in medio inter cœlum, & altare modo naturali, & quantitatiuo non sacramentali; sed indiuisibili.*

1780 *Non solum de facto, sed etiam de possibili non potest corpus Christi Domini vt existit in sacramento videri naturaliter ab oculo corporeo creato, etiam corporis gloriosi.*

1781 *Probabile est corpus Christi Domini videri posse ab oculo viatoris aliquo modo confuso, & obscuro, nisi Deus impediret, vt fides locum habeat: non repugnat etiam ab oculo corporis gloriosi.*

1782 *Corpus Christi Domini potest distinctè videri in sacramento per miraculum: immò etiam id aliquando quibusdam concessum est.*

1783 *Etsi oculus Christi Domini in sacramento non clarius se videt naturaliter quàm oculus viatoris; tamen probabile est de facto ex miraculo seipsum videre in sacramento distinctè; cum tamen non videat modum, quo est in sacramento.*

1784 *Angelus & anima separata siuè in paradiso, siuè in purgatorio existens naturaliter videt accidentia esse sinè subiecto, & absentiã panis ab ipso sacramento.*

1785 *Corpus autem ipsum valde probabile est non posse videri naturaliter ab vllo intellectu creato, & abstracto siuè angelico, siuè humano, siuè beato, siuè viatore.*

1786 *Non solum possibile est, sed etiam de facto ita se habet quòd omnis intellectus beatus in verbo videt corpus Christi Domini vt est in sacramento, & modum quo in illo est.*

1787 *In hostia corruptis alijs accidentibus, & saluis solis dimensionibus non remanet corpus Christi Domini, quod tamen remanet merito à fidelibus adorari debet adoratione Latriæ.*

1788 *Quantitas destructa tamen forma specierum in sacramento Eucharistiæ est subiectum accidentium remanentium; ita vt sola quantitas sit sinè subiecto: id verò non fit per nouum miraculum, nam quantitas ante conuersionem, etiam erat subiectum accidentium.*

1789 *Accidentia sacramentalia, seu species sacramentales non solum possunt producere alia accidentia, sed etiam substantias, partialiter tamen tanquam causa secunda eleuata supra suam speciem.*

1790 *Per easdem alterationes desinit esse substantia Christi Domini in sacramento, per quas desineret esse substantia panis, si esset; & omnia eã patitur, & agit, quæ pateretur, & ageret substantia panis: ideoque nutrit sumentem.*

1791 *Species sacramentales partim corrumpuntur, partim verò annihilantur; accidentia enim habentia subiectum corrumpuntur: quantitas verò sola annihilatur.*

1792 *Et quando corrumpuntur, primum agens naturale quod corrumpit, ponit in dimensione panis aliquas dispositiones formæ introducendæ tum verò Deus creat nouam materiam, & quantitatem panis noua dispositione affectam reponit in materiam, tum demum agens naturale se habet quasi per accidens.*

1793 *Si species sacramentalis rarefiat, acquiritur noua quantitas quæ*

producitur à solo Deo, & in ea subiectatur rarefactio, & qualitates consequentes ipsam.

1794 *Si vero aqua vino apponatur, vt soluatur species, & substantia vini, desinit in eo esse substantia sanguinis Dominici: vini autem corruptio non fit per eius diuulsionem, sed per actionem aquæ in ipsam; & tunc vinum non conuertitur in aliquod tertium, sed in ipsam aquam.*

1795 *Si vero magnæ quantitati vini consecrati gutta aquæ admisceatur, nec minima quidem vini particula corrumpitur; sed tantum repatitur propter delibitationem coloris, & saporis vini.*

1796 *Si ex dolio emittatur parum vini, & id consecratur, & deinde immittatur in dolium: pars consecrata non corrumpitur.*

1797 *Si vino consecrato superaddatur quantunlibet vini differentis ab eo colore non sapore, nulla pars vini consecrati distinguitur, ac proinde Christus Dominus adhuc perseuerat in illo.*

1798 *Vera, & germana forma huius sacramenti est illa, Hoc est corpus meum; & Hic est sanguis meus, à Christo Domino immediatè instituta, & prolata, quam immutare solus ipse potest, qui instituit.*

1799 *Oratio deprecatoria præcedens consecrationem non est de essentia sacramenti; Est tamen vetustissima traditio in Ecclesia, & per eam petitur vt consecratio illa cedat in salutem animarum.*

1800 *Sacerdos profert verba consecrationis non tanquam historicus; sed significatiuè, & recitatiuè, & personaliter: & forma consecrationis significat conuersionem panis expressè.*

1801 *Pronomen, hoc, non significat panem, neque corpus Christi Domini, & panem simul; sed gradum quendam superiorem indifferentem ad vtrumque.*

1802 *Hæc propositio, Hoc est corpus meum, toto tempore prolationis verborum est vera veritate inchoata, & in vltimo instanti prolationis est vera veritate consummata, vtrobique tamen est vera secundum omnem rigorem.*

1803 *Verba antecedentia, & consequentia non sunt de necessitate sacramenti; sunt tamem de necessitate præcepti, & ea omittens consulto peccat mortaliter.*

1804 *Hoc sacramentum per se, & ex sua natura non confert primam*

mam gratiam, sed illam supponit, & auget, per accidens tamen confert primam gratiã vel per se, sed inchoatè, quatenus alia sacramenta conferunt illam includendo votum huius.

1805 *Hoc sacramentum non solum est eucharisticum, sed etiam propitiatorium, & expiatorium: per hoc enim sacrificium incruentum applicantur fidelibus merita sacrificij cruenti.*

1706 *Est autem propitiatorium non solum ex opere operantis, sed etiã ex opere operato: & vtroque modo remittit peccata, impetrat gratias gratis datas, & bona temporalia, & gratiam, & gloriam.*

1807 *Valet autem non solum ad remissionem pœnæ; sed etiam culpæ etiam mortalis; quod efficit primo si sit aliquis attritus tantum, fit enim contritus; secundo impetrando motiones internas Spiritus sancti.*

1808 *Non solum prodest conficienti; sed etiam alijs: immo toti populo Christiano, idque non solum ex intentione Ecclesiæ, sed etiam ex priuata intentione ministri.*

1809 *Prodest etiam defunctis in gratia detentis in pœnis purgatorij ad eas minuendas, vel omnino relaxandas.*

1810 *Fructus huius sacrificij peculiari ratione applicatur ijs ad quos tendit peculiaris intentio ministri distincta & explicita, nisi teneatur alio vinculo.*

1811 *Etiamsi in Ecclesia nullus esset iustus; adhuc tamen hoc sacrificium esset profuturum ex opere operato: est autem limitatus eius fructus tam ex opere operato, quàm ex opere operantis: ad augmentum autem operis operantis augetur virtus operis operati: quatenus virtus operis operati, in suscipiente recipitur.*

DE POENITENTIA.

1812 IN SACRAMENTO *Pœnitentiæ res sacramenti est remissio peccati, sacramentum est actus exercitus pœnitentis, & sacerdotis absoluentis, res & sacramentum est pœnitentia interior peccatoris.*

1813 *Huius sacramenti partes sunt actus pœnitentis, scilicet contritio, confessio, & satisfactio: forma est absolutio, satisfactio est pars integralis, non essentialis sacramenti.*

1814 *Materia remota huius sacramenti sunt peccata, proxima verò actus pœnitentis: Est autem hoc sacramentum de peccato actuali mortali; de originali autem non est pœnitentia nisi impropriè, quatenus voluntas Adæ nostra reputatur.*

1815 *Peccata mortalia ante baptismum commissa non sunt necessaria; sed vtilis materia huius sacramenti, sicut peccata quæ quis semel confessus est.*

1816 *Verba sacramentalia, Ego te absoluo, non ita sunt accipienda, quasi dicat sacerdos, ego te absolutum ostendo; sed quasi dicat, Ego absolutionis sacramentum tibi do.*

1817 *Euangelici sacerdotes verè & realiter à peccatis absoluunt: non sunt autem duæ absolutiones, altera Dei absoluentis, altera sacerdotis approbantis, vel è conuerso; sed vna, & eadem à Deo tanquam ab agente principali, & à sacerdote tanquam instrumentali.*

1818 *Non est dicendum maculā peccati, et reatū æternæ pœnæ tā damni quàm sensus immediatè à Deo tolli, & remanere penes sacerdotē tantum potestatem imponendi satisfactionem pro pœna temporali.*

1819 *Si quis habeat copiam sacerdotis, & non curet confiteri; non proinde remanet reatus ad æternam poenam omnium peccatorum, de quibus antea fuerat absolutus.*

1820 *Per sacramentum poenitentiæ propriè, & in rigore dicitur homo absolui non solum à poena; sed etiam à culpa.*

1821 *Verba necessaria implicitè de necessitate sacramenti sunt, Ego te absoluo, explicitè verò sunt, Absoluo te: reliqua verba, & inuocatio sanctissimæ Trinitatis non sunt essentialia sacramento.*

1822 *Impositio manuum in sacramento poenitentiæ non est necessaria de necessitate sacramenti; sed congrua: vbi tamen non est consuetudo, non peccat qui omittit.*

1823 *Votum explicitum huius sacramenti non est necessarium necessitate medij, etiam post peccatum mortale actuale post baptismum, quando quis iustificatur ex contritione.*

1824 *Votum implicitum illius est necessarium necessitate medij quando quis iustificatur ex contritione; quia continetur in illa.*

1825 *Poenitentiæ sacramentum est conuenienter in Euangelica lege institutum, quasi secunda post naufragium tabula: eius tamen ministerium nunquam Christus exercuit.*

Poeni-

1826 *Pœnitentia actualis non potest esse continua in tota vita: non est tamen dicendum hominem quoties recordatur peccati à quo iustificatus est, teneri ad illius pœnitentiam.*

1827 *Præceptum affirmatiuum pœnitentiæ tantum semel obligat ad obtinendum iustificationem peccatorum, præceptum vero negatiuum obligat ad semper.*

1828 *Potest quis per pœnitentiam iterũ atque iterum obtinere veniam peccatorum: est igitur vera præterita pœnitentia, etiam si quis in peccatum relabatur.*

1829 *Pœnitentia est virtus si sumatur pro dolore peccati prout est in anima, & in voluntate, non prout est in appetitu sensitiuo; nisi sit ex electione rationis & acquisita.*

1830 *Est autem virtus specialis expellens omne peccatum effectiuè, in quantum operatur ad destructionem peccati prout est remißibile ex diuina gratia homine cooperante.*

1831 *Actus pœnitentiæ per hoc specificantur quod dicunt intentionẽ compensandi iniuriam factam Deo; non vero ex eo quod dicant detestationem peccati.*

1832 *Pœnitentia non est ipsamet iustitia commutatiua; sed pars potestatiua illius: vnde actus illius non est actus iustitiæ distributiuæ, nec commutatiuæ formaliter; sed huius potestatiuè.*

1833 *Cæteris paribus quò quis maiorem habet pœnitentiam, eò est studiosior, & laudabilior, absolutè autem è conuerso is nimirum, qui nullam habet actualem pœnitentiam.*

1834 *In Christo Domino, & in Angelis siue in via siue in patria, & in primis parentibus in statu innocentiæ non fuit, nec est virtus pœnitentiæ etiam secundum habitum.*

1835 *In beatis qui peccauerunt in via remanet virtus pœnitentiæ quoad habitum: in his verò, qui non peccauerunt, nequaquam.*

1836 *Actus pœnitentiæ procedit à timore seruili, tanquam à primo motu affectus; à filiali verò sicut ab immediato, & proximo principio: in pœnitentia enim hic est ordo actuum: primus est operatio Dei conuertentis cor; secundus est motus fidei; tertius est motus timoris; quartus motus spei; quintus motus timoris filialis.*

1837 *Nullum peccatum potest remitti sine pœnitentia prout est*

virtus

virtus siue actuali, siue habituali: potest autem sine sacramento pœnitentiæ.

1838 *Dolor de peccatis, qui dicitur contritio ad salutem non est necessarium ut sit maximus, qui esse potest; neque ut sit maximus respectu aliorum, quos quis passus est.*

1839 *In martyrio sicut in cæteris actibus charitatis non potest haberi iustificatio sine anteactæ vitæ pœnitentia, si eius memoria occurrat.*

1840 *Potest nonnunquam in nobis esse actus charitatis sine contritione explicita; & eo tantum remitti nobis possunt peccata siuè in martyrio, siue quocunque alio charitatis actu.*

1841 *Datur speciale præceptum contritionis: excusatur autem ab huius præcepti obseruatione, qui continuo post admissum peccatum moritur.*

1842 *Præceptum contritionis non continetur sub illo decalogi præcepto non occidendi seipsum spiritualiter; sed est peculiare ex virtute charitatis, quatenus tenemur cum Deo reconciliari: est autem huiusmodi præceptum affirmatiuum.*

1843 *Non tenemur agere pœnitentiam de peccatis omni die festo; neque quoties instat periculum obliuionis peccatorum; sed tantum administrandum Eucharistiæ sacramentum: absolutè autem, & per se non obligat nisi in articulo mortis.*

1844 *Non est necesse singulis peccatis adhiberi contritionem & examen conscientiæ ad illam nec necessitate medij nec necessitate præcepti in ulla lege.*

1845 *Ad maius peccatum mortale non est necessaria maior contritio; sed una pro omnibus sufficit siue cum examine, siue sine illo.*

1846 *Vera contritio tria postulat, displicentiam de præteritis, propositum cauendi de futuris; & quod procedat ex habitu charitatis.*

1847 *Attritio non potest fieri contritio, ita ut idem actus, qui erat attritio sit contritio; sed tantum quatenus attritio virtute sacramenti æquiualet contritioni.*

1848 *Deus, quæ sua est omnipotentia absoluta, potest tollere peccata per solam infusionem gratiæ habitualis sine aliquo motu liberi arbitrij.*

1849 *Deus neque de potestate ordinaria neque absoluta potest remittere*

tere

tere vnum peccatum sine remißione alterius, si sit vera remißio, quæ scilicet fit per iustificationem.

1850 *Per pœnitentiam tollitur quidem reatus æternæ pœnæ; sed remanet reatus pœnæ temporalis qui incurritur ratione conuersionis ad bonum commutabile.*

1851 *Peccatum veniale non potest remitti sola attritione absque remißione mortalis; immo neque etiam existenti in gratia sola attritione remitti potest.*

1852 *Ipsum non remittitur sine sacramento pœnitentiæ, nisi per contritionem actualem: vnde aliquo actu charitatis sine dolore expresso potest remitti, si contineat virtualiter detestationem illius.*

1853 *Non est dicendum omne peccatum veniale aut deleri in hac vita, aut tandem morte ipsa fieri mortale, sed si quis moriatur cum solo veniali; illud remittetur ei in alia vita.*

1854 *Neque verò in primo instanti separationis animæ à corpore ex sola gratia habituali tolluntur peccata venialia, ita vt in toto residuo tempore nihil purgandum supersit; neque remittuntur succeßiuè toto tempore, quo anima purgatorij pœnis affligitur.*

1855 *Sed remittuntur in alia vita quoad maculam, & culpam in instanti separationis animæ à corpore solo actu contritionis, & dilectionis.*

1856 *Ad peccati venialis remißionem semper præsupponitur gratiæ infusio: non est autem necesse iusto, cui remittitur peccatum veniale augeri habitum gratiæ.*

1857 *Vniuersaliter omnia nouæ legis sacramenta, & confeßio generalis, tunsio pectoris, oratio Dominica, Benedictio Episcopalis, & Aspersio aquæ benedictæ Vnctio sacramentalis, & Oratio in Ecclesia dedicata, purgāt à peccato veniali, si sint cū detestatione illius.*

1858 *Peccata venialia non remittuntur per hæc sacramentalia ex opere operato, neque ex actu humilitatis, vel poenalitatis qua huiusmodi sacramentalia recipiuntur; sed propter contritionem, & dilectionem recipientis.*

1859 *Peccata aliàs dimissa non redeunt, neque quoad conuersionem, neque quoad auersionem, aut maculam peccati; redeunt tamen aliqua ratione in quantum peccatum, quod fit post iustificationem redditur grauius accedente ingratitudine.*

Non

1860 *Non est dicendum remissa peccata posse redire & iure optimo imputari nobis potuisse ob sequens peccatum neque quòd non redeant, dicendum est ex diuinæ misericordiæ prouenire.*

1861 *Maior ingratitudo est peccare post præteritorum peccatorum remißionem, quàm post innocentiam: Vnde grauius peccamus nos quàm peccauerit Adam primo peccato.*

1862 *Per pœnitentiam restituuntur omnes virtutes gratuitæ; ipsa verò pœnitentia quatenus virtus, est effectus gratiæ, sed quatenus sacramentum est causa gratiæ & omnium virtutum.*

1863 *Redeunt præterea merita præterita in integrum non iuxtà mensuram charitatis, & gratiæ, in qua homo resurgit, sed iuxta mensuram charitatis, in qua facta sunt vna cum gratia illi correspondente.*

1864 *In iustificatione post peccatum non redit gratia, quæ collata fuit in sacramento ex opere operato; nisi forte id fiat ex Dei beneplacito; de quo tamen nihil mihi constat.*

1865 *Merita quandiu homo est in peccato sunt tantum mortificata, non mortua; habent enim ius ad gloriam sub conditione, si satisfiat pro peccatis post ea commißis.*

1866 *Opera bona, quæ fiunt in statu peccati non remunerantur in vita æterna; sed temporali remuneratione: vnde si Schysmaticus pro Christo pateretur, hoc illi prodesset, quatenus tolerabilius fieret illi futurum iudicium.*

1867 *Sacramenti pœnitentiæ reperitur institutio, & necessitas in Ecclesia ante Innocentium III. Vnde necessarium est de præcepto diuino quod colligitur ex illo Ioannis XX. Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.*

1868 *Potuisset Ecclesia ponere præceptum annuæ confeßionis, non tamen contritionis: annuæ autem confeßionis præceptum non est ecclesiasticum; sed est modificatio iuris diuini, quod alias obligabat; igitur Ecclesia præcepit temporis circunstantiam, Christus Dominus operis substantiam.*

1869 *Si præceptum annuæ confeßionis esset ecclesiasticum positiuum purum, & non diuinum; non obligaremur ad confitendum peccata cogitationis; sed tantum locutionis, & operis.*

1870 *Summus Pontifex etiam de Apostolicæ potestatis plenitudine non po-*

non potest abrogare præceptum confessionis pro omni loco, tempore, & persona.

1871 *Si vero dispensaret præceptum annuæ confessionis sine causa, peccaret ipse quidem; sed dispensatio valeret.*

1872 *Si Romanus Pontifex hoc præceptum annuæ confessionis in vniuerso Christianismo dispensaret teneremur ad confitendum tantum in articulo mortis, & in eius probabili periculo.*

1873 *Summo Pontifici incumbit præceptum determinandi tempus præcepti confessionis, nè Ecclesia maneat absque vsu huius sacramenti.*

1874 *Summus Pontifex etiam si sit supra Concilium; tenetur tamen ad confessionem non tantum præcepto diuino; sed etiam illo cap. Omnes vtriusque sexus de pœnit. dist. 5. quoad vim tamen directiuam non coactiuam.*

1875 *Nec de præcepto Ecclesiastico, nec naturali, nec diuino tenentur infideles ad confessionem pro aliquo tempore: peccata enim ante baptismum commissa non sunt materia confessionis.*

1876 *Omnes fideles tenentur hoc præcepto etiam ante annos pubertatis, disparitas tamen est in sexu, citius enim viri, quam fœminæ obligantur.*

1877 *Summus Pontifex nō potest præcipere confessionem peccatorum mortalium ante baptismum commissorum: non enim potest immutare essentiam sacramentorum.*

1878 *Præcepto annuæ confessionis tenentur tantum habentes peccata mortalia; quod verò Ecclesia habeat auctoritatem ea retinendi, & de ipsis absoluendi; traditione constat, cum de venialibus sola ratione probetur. Si quis autem ordo est cui menstruæ confessionis præceptum legitimè impositum sit; debet hoc præceptum ab omnibus eius religionis inuiolabiliter seruari etiam à non habentibus nisi venialia peccata.*

1879 *Summus Pont. potest præcipere confessionem peccatorum venialium indirectè præcipiendo menstruam, vel hebdomadariam cōfessionem: sed non directè præcipiendo vt quoties confitemur, venialia confiteamur.*

1880 *Præceptum confessionis non obligat statim ac quis cecidit in peccatum mortale, sed statis temporibus, & primum quidem semel in*

anno quocunque die illius, computando annum secundum computum Ecclesiæ.

1881 *Alterum tempus obligationis huius præcepti est cum quis probabiliter timet se non habiturum copiam confessarij debito tempore: & idem dicendum de anticipatione Eucharistiæ; nisi quod non licet sine hac conditione anticipare Eucharistiam sicut confessionem.*

1882 *Tertium tempus est in ægritudine, belló, vel nauigatione periculosis, & in articulo mortis; & quando sumenda est Eucharistia, siue de præcepto, siue ex simplici deuotione.*

1883 *Omnes circunstantiæ siue actum specificantes, siue non, si faciant de veniali mortale, sunt explicandæ in confessione.*

1884 *Circunstantias aggrauantes in quantum tales sunt non est de præcepto in confessione explicari, exceptis ijs, quæ non supponunt actum iam constitutum in ratione morali; sed possunt illi tribuere primam malitiam.*

1885 *Mendacium de peccato veniali in confessione vel negando factum, vel asserendo non factum, non est peccatum mortale, nisi quando quis illud solum confitetur.*

1886 *Si quis repente morbo obmutescat potest pœnitentiæ sacramentum accipere: si testimonium voluntatis præteritæ aut aliorum verbis habet, aut præsentis in suo nutu.*

DE EXTREMA VNCTIONE.

1887 EXTREMA *Vnctio est verum, & distinctum sacramentum nouæ legis; cuius effectus communis, & hypoteticus est remissio peccatorum, tam mortalium, quam venialium.*

1888 *Effectus autem proprius est corroborare moribundum contra molestias, & conflictus proprios ægrotantium, & salutem corporis confirmare; dummodo animæ id expediat.*

1889 *Temerarium est asseuerare sacramentum Extremæ vnctionis conferre valetudinem corporalem absolutè: effectus enim primarius est mentis hylaritas.*

1890 *Materia huius sacramenti est oleum olearum non ita admixtum alijs materijs, vt essentiam, & naturam olei amittat, & de*

& de essentia sacramenti est vt oleum sit benedictum.

1891 *Forma deprecatoria, qua vtimur in hoc sacramento nihil derogat dignitati, & certitudini ipsius, & ea nisi quis vtatur non conficit sacramentum.*

1892 *Minister ordinarius huius sacramenti est Presbyter: at si alius id tentet, non conficit: inter Presbyteros autem licitè vngit solus Parochus, & Episcopus.*

1893 *Sacramentum hoc si conferatur minimè periclitanti, aut existenti in mortis articulo; aut puero ante vsum rationis, nihil valet.*

1894 *Vt hoc sacramentum proprium sortiatur effectum, non sufficit contritio in suscipiente; sed necessaria est confessio; & si inter vngendum appareat certum mortis indicium, debet vnctio omitti.*

1895 *Quod si Sacerdos inter vngendum moreretur, debet vnctio non iterari; sed finiri ab alio: si quis autem careat aliquo ex ijs membris quæ vngi debeant; debet vngi pars illi propinquior.*

1896 *Debent autem vngi primò oculi tùm aures, deinde os, tum manus, post has renes aut pectus, & demum pedes; de essentia autem sacramenti sunt tantum quinque primæ vnctiones.*

1897 *Quare quinta vnctione peracta gratia sacramentalis confertur: si quis autem hoc sacramentum omittat, siue ex contemptu siue ex negligentia, mortaliter peccat.*

DE SACRO ORDINE.

1898 DISTINCTIO *inter Clerum, & Populum est de iure diuinò, & Clerus est vere Hierarchia Ecclesiastica erga populum.*

1899 *Ordinatio Sacerdotum, & ministrorum Ecclesiæ est verè, & propriè sacramentum legis Euangelicæ distinctũ ab alijs.*

1900 *Sacerdotes Euangelici ordinati sunt non solum ad ministerium verbi, & regimen sacramentorum; sed etiam ad orandum publicè pro populo, & ad sacrificandum.*

1901 *Hæc potestas sacerdotalis est Character indelebilis, de cuius essentia est Character baptismalis, ita vt sine hoc imprimi non possit.*

1902 *Ordinatio Sacerdotum, & ministrorum Ecclesiæ de iure diuino pertinet ad Episcopos, & Pastores Ecclesiæ, non ad suffragia popu-*

li; eius autem consensus sæpe requiritur de necessitate præcepti; nunquam de necessitate sacramenti.

1903 *In Ecclesia Romana sunt veri sacerdotes, apud hæreticos verò non sunt nisi qui ordinati sunt ab Episcopis Romanæ Ecclesiæ.*

1904 *Si per ordinem intelligamus omnem actum Ecclesiasticum, sunt sexdecim ordines nempe septem ordinarij, octauus Episcopatus, nonus Cantor, vel Psalmista, decimus Monachorum, & Virginum vndecimus Diaconissarum, duodecimus Laborantium, tertiusdecimus Vespillonum, quartusdecimus Editui, decimusquintus Confessorum fidei coram Tyranno; sed non martyrizatorum sextusdecimus Prima Tonsura.*

1905 *Si ordo sumatur strictissimè pro potestate exercendi aliquem actum immediatum super Corpus Christi Domini verum, vel mysticum: sunt duo ordines, Episcopatus, Presbyteratus.*

1906 *Si vero ordo sumatur prò deputatione ad aliquem actum peculiarem in ordine ad celebrandum sacrificium Missæ, & Eucharistiæ; sunt septem ordines, Ostiarius, Exorcista, Acolytus, Lector, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter.*

1907 *Si demum sumatur prout dicit deputationem ad qualemcunque actum Hierarchicum, & non ordinatum ad sacrificium Missæ, sunt nouem ordines, nimirum septem enumerati, & præterea Lector, & Episcopus.*

1908 *Et quamuis dicamus multos ex his ordinibus esse sacramenta: id tamen non præiudicat Ecclesiæ traditioni de numero septenario sacramentorum.*

1909 *Quatuor ordines minores nec gratiam conferunt, nec imprimūt characterem: quare probabilius est non esse sacramenta Ecclesiæ, neque de iure diuino instituta.*

1910 *Episcopatus est de iure diuino institutus, & est ordo superior Presbyteratu non solum quoad iurisdictionem; sed etiam quoad maiorem potestatem characteris, saltem Chrysmatis, & Ordinum.*

1911 *Episcopus non potest obire munus Presbyterale sine charactere Presbyterali: potest autem Presbyter propria munera obire sine charactere Diaconali, vel Subdiaconali.*

1912 *Diaconatum, et Subdiaconatū esse sacramentū non ita exploratum habemus; vt contrarium asserentes, hæreseos condemnemus.*

DE

DE MATRIMONIO,

1913 MATRIMONIVM *est contractus, & coniunctio non corporum; sed animorum Viri, & Mulieris, qua alter alteri per consensum exteriori signo expressum tradit corpus suum ad vsum Matrimonij, indiuiduam vitæ consuetudinem retinens.*

1914 *Est autem Matrimonium vt contractus de iure naturali idest eiusmodi, vt illud naturale rationis lumen dictet esse licitum, & conueniens rationi, & humani generis conseruationi, non quod ad illud homines pondere naturæ ferantur.*

1915 *Matrimonium à principio mundi ante, & post primum peccatum per aliquod tempus fuit de præcepto obligans omnes, & singulos homines: postea verò quàm crescentibus culpis, homines sufficienter multiplicati sunt super terram, non obligauit amplius singulos, sed libere quisque poterat ducere cælibatum.*

1916 *Cum verò post vniuersale diluuium essent solæ octo animæ superstites super terram; antiquum præceptum renouatum fuit Geneseos* 8. *Crescite, &c. quod tùm demum singulos obligare cessauit, cum iam tantus hominum numerus creuit, vt de generis humani perditione dubitandum non esset.*

1917 *Cum Deus Genesis* 8. *dixit: Crescite & multiplicamini, &c. non instituit nouum præceptum matrimonij; sed naturale matrimonij præceptum humanis mentibus à se inditum, & consignatum eo tempore obligare declarauit.*

1918 *Præceptum Matrimonij vt est contractus humanus & naturalis primis parentibus in Aeuæ conditione inditum fuit, atque adeo Deus cum dixit, Crescite, &c. Genesis* 1. *non instituit; sed institutum benedixit Matrimonium.*

1919 *Dicere Matrimonium ante carnalem copulam non esse integrũ cum omnibus suis partibus essentialibus; sed eam actualiter necessariam esse sacramento, est hæreticum.*

1920 *Matrimonium est sacramentum Ecclesiæ conferens gratiam cuius causa efficiens fuit Christus Dominus instituens illud cum dixit. Quos Deus coniunxit homo non separet.*

1921 *Finis Matrimonij quadruplex est; propagatio prolis, fides coniugalis,*

iugalis, remedium concupiscentiæ, & mysterium vnionis verbi cum humana natura per hypostasim, & vtriusque, scilicet Christi cum Ecclesia per gratiam.

1922 *Sacramentum tantum est exterior consensus Matrimonij inclu dens verba, & signa expressiua mutui consensus: res, & sacramentum est vinculum coniugale indissolubile; res sacramenti est duplex altera signata, & contenta, scilicet gratia matrimonialis, altera signata non contenta, scilicet signum vnionis hypostaticæ in Christo, & eius cum Ecclesia per gratiam.*

1923 *Infidelium Matrimonium nullam habet Ecclesiastici sacramen ti rationem; sed est tantum contractus ciuilis, & naturalis, neque verò fit sacramentum quando vterque coniux fit Christianus; nisi de nouo contrahant Matrimonium in facie Ecclesiæ per consensum expressum, & verba de præsenti.*

1924 *Sponsalia sunt mutua promissio futurarum nuptiarum, quo non possunt esse inter minores septennio completo, etiam si discretio su peret ætatem; quemadmodum nec inter maiores septennio quando non apparet signum vsus rationis, & parentes contrafacientes mor taliter peccant.*

1925 *Verba contrahentium quando sunt de præsenti contrahũt Matri monium, quando de futuro contrahunt Sponsalia: cum vero de vtroque ambigitur, est respicienda intentio contrahentium.*

1926 *Sponsalia inter absentes per procuratorem, vel nuncium possunt valide contrahi, & si antequam procuratores contraherent, actu contrahentes reuocent mandatum, Sponsalia annullantur, secus si post.*

1927 *Clandestina sponsalia etiam post Concil. Triden. sunt valida, & licita, nisi tamen sint de matrimonio clandestino contrahendo.*

1928 *Si duo cõtrahant Sponsalia de contrahendo Matrimonio absolutè, & postea contrahant matrimonium clandestinum, vi sponsalium tenetur celebrare matrimonium in faciem Ecclesiæ.*

1929 *Si duæ personæ, inter quas est canonicum impedimentum Matrimonij, contrahant sponsalia cum conditione apposita; si Romanus Pontifex dispensauerit, illa non sunt valida; nisi obtenta dispensatione expresse, vel tacite ratificentur; & idem de Matrimonio dicendum est.*

Mutuus

1930 *Mutuus vtriusque contrahentis consensus ita necessarius est ad Matrimonium, vt eius defectus prorsus tollat matrimonium in vtroque foro, & sit de ipsius essentia, ita tamen vt possit dici causa effectiua eiusdem.*

1931 *De potentia Dei absoluta posset fieri Matrimonium vt sacramentum, & vinculum indissolubile sine consensu contrahentium, quatenus vero est contractus humanus, implicat contradictionem.*

1932 *Ad valorem Matrimonij satis est consensus contrahentium sine consensu parentum, vel superiorum; debetque esse explicitus verbis, vel signis, & nutibus siue sint muti, vel surdi, siue sine vllo defectu.*

1933 *Hic consensus debet esse in vtroque contrahente simul siue actualiter, siue virtualiter: quod si alteruter post eius expressionem se consensisse neget; nulla est ipsi habenda fides.*

1934 *Summus Pontifex de Apostolicæ potestatis plenitudine potest dissoluere matrimonium ratum non consummatum, de communi consensu coniugum.*

1935 *Matrimonium ratum, & consummatum etiam de vtriusque coniugis consensu, & causa fornicationis dissolui non potest quoad vinculum.*

1936 *Contracto inter fideles matrimonio si alter coniugum recedat à fide per Hæresim, vel Apostasiam licitè potest alter ab eo diuortium facere quoad thorum, & habitationem.*

DE ANTICHRISTO. EXTREMO IVDICIO. CONSVMMATIONE SAECVLI. AC GLORIFICATIONE SANCTORVM.

1937 ANTICHRISTVS *ante extremi iudicij diem venturus nascetur ex populo Iudæorum de Tribu Dan ex parentibus sicut alij homines: & totus Diabolo replebitur ex vtero matris, vt totus sit malus totus perditus*

1938 *Sed ante virtutes ab Ecclesia magnæ cessabunt, sponsa Christi silebit, & cessabit iuge sacrificium, & deijciet locum sanctificationis eius.*

Et extol-

1939 *Et extollet se Antichristus supra omne quod dicitur Deus; aut quod colitur; & erit aduentus eius in omni virtute, & signis, & prodigijs mendacibus: Et dabitur ei potestas in omnem tribum, & populum, & linguam, & gentem, & adorabunt eum omnes qui inhabitant terram, quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ, & ex alijs plurimi atrocissimum subibunt martyrium.*

1940 IVDICIVM EXTREMVM *præcedet Solis & Lunæ obscuratio, quæ si fiat diminutione luminis, & naturaliter; non poterit esse in vtroque simul; si supernaturaliter, poterit vterque simul obscurari; & idem de cæteris stellis sentiendum.*

1941 *Quod si Sol, & Luna, cæteraque astra obscurabuntur, non proprij luminis diminutione; sed veri luminis comparatione, obscuratio incipiet veniente Christo, & descendente cessabit.*

1942 *Et sic intelligitur quod scriptum est, quòd erit lux Lunæ sicut lux Solis & lux Solis septempliciter, Isaie 30. quod idem de alijs syderibus Astronomica ratione concludimus; sed comparatione veri luminis omnia tenebrosa erunt.*

1943 *Virtutes Angelicæ mouentes cœlos mouebuntur quatenus cessabunt mouere cœlos; & quia tunc vel maximè miracula facient; quia nouum Iudicis aduentum admirabuntur, non propter ignorantiam; sed quia diuina mysteria non comprehendent.*

1944 *Purgabuntur etiam elementa, & præteriet figura huius mundi, quia mixta cessabunt, & corruptio in corruptelam non possidebit, & inde elementa non habebunt amplius extraneas, sed proprias, & actiuas qualitates, & elementa ignis ardore tabescent.*

1945 *Ignis autem elementaris non descendet ex propria sphæra per multiplicationem; neque vero generabitur in media regione sphæræ actiuorum, & passiuorum ex solarium radiorum in concauas nubes orthogonia reflexione; sed omnibus causis naturalibus ignis tam inferioribus quàm superioribus supernaturaliter congregatis generabitur ignis qui faciem mundi exuret, & cæteros etiam ignes consumet & insequens materiam vndequaque mouebitur.*

1946 *A nullo elementorum auferetur propria forma substantialis; sed tantum mutua actio, & passio & transmutatio inter ipsa, maximè autem immutabuntur aer, & aqua.*

1947 *Ille idem ignis corpore hominum purgabit; ita vt corpora malorum*

1948 *Ille idem ignis corpora hominum purgabit; ita vt corpora malorum purget, ac puniat; bonorum qui sine peccato veniali decesserũt purget, vt resoluantur; sed non puniat bonorum vero qui habebunt peccatum veniale purget etiam puniendo pro culpæ grauitate, quæ omnia faciet non vt ignis naturalis, sed vt instrumentum agentis supernaturalis.*

1949 *Immo etiam purgabit viuos si qui erunt à peccatis venialibus, & quod amittet temporis breuitate, recuperabit actionis intensione, & partes eius calidiores, & crassiores in infernum demittentur in pœnam damnatorum, quod verò subtile, & lucidum sursum ascendet in electorum gloriam.*

1950 *Tunc audietur vox tubæ terribilis, cui omnia obediunt elementa, quæ petras scindet, inferos aperiet, portas æreas franget, vincula mortuorum dirumpet, & de profundo abyssi animas liberatas corporibus suis assignabit. Quæ omnia citius consumet in opere, quam sagitta transeat in aere.*

1951 *Resurrectio corporum imperabitur à Christo, seu in voce qua imperauit mari Matthæi* 8. *siue aduentu suo sicut fulgur venit ab Oriente, & apparet in Occidente Matth.* 24. *ita vt tubam sonare nihil sit aliud quam iudicem mundo demonstrare.*

1952 *Et in ictu oculi resurgent omnes tam boni quam mali quantum ad corporis, & animæ reunionem resurrectione simpliciter miraculosa, nec naturali nisi secundum quid ratione appetitus animæ; & omnes qui resurgent antequam resurgant morientur.*

1953 *In resurrectione mortuorum collectio, & præparatio cinerum fiet ministerio Angelorum; animæ verò & corporis vnio fiet immediate à Deo.*

1954 *Resurrectio hæc differetur vsque ad finem mundi; neque enim audiendi sunt Chiliastæ dicentes primam resurrectionem futuram esse mortuorum, vt cum Christo mille annis in terra regnent.*

1955 *De die autẽ illa, & hora nemo scit, neq; Angeli Dei; neq; nostrũ est nosse tempora, vel momenta, quæ posuit pater in potestate sua.*

1956 *Pulueres illi, ex quibus humana corpora reparabuntur, nullam habent naturalem inclinationem ad animam, quæ eis coniugetur; sed ex diuinæ prouidentiæ decreto fiet, vt hi potius pulueres huic animæ vniantur, quàm alij.*

1957 *In resurrectione eadem numero anima idem numero corpus resumet: & ideo Iob dicebat, In carne mea videbo Deum Saluatorem meum.*

1958 *Eadem ratione resurget idem numero homo, iuxta illud, Quem visurus sum ipse, & non alius; cum eadem numero humanitate: neque tamen erit eadem numero coniunctio, quæ fuit prius.*

1959 *Pulueres humani corporis, ad eam corporis partem, quæ in ipsos resoluta est, & in eodem situ redibunt, dummodo id non dicat imperfectionem in beatis.*

1960 *Corpora resurgent cum omnibus membris ad demonstrandam animæ perfectionem, & gloriam, & cum ijs intestina reuiuiscent non fœdis plena superfluitatibus, sed nobilissimis fragrantissima humoribus.*

1961 *Resurgent cum his capilli secundum illud, Capillus de capite vestro non peribit, & vngues, non autem superfluitates, vt sudor, & vrina, neque semen, & alia similia.*

1962 *Omnes resurgent in eadem ætate secundum mensuram ætatis plenitudinis Christi Ephes. 4. non quantum ad numerum annorum hoc enim in senibus est impossibile, sed quantum ad statum, qui in corpore humano ex annis relinquitur.*

1963 *Melius mihi sapere videntur qui vtrunque sexum resurrecturum non dubitant, vt Deus reparet in resurrectione totum id, quod fecit homini in prima conditione.*

1964 *Non resurgemus in vita carnali; vnde cessabunt nutritio, & eius partes, & generatio iuxta illud: In resurrectione neque nubent, neque nubentur, vnde membra ad hunc vsum nobis data in resurrectione erunt ad integritatem tantum.*

1965 GLORIOSA *corpora Sanctorum resurgentium erunt impassibilia passione corruptiua, non quia elementa mansura sint in illis secundum substantiam tantum, neque quod quinta essentia illis admisceatur; sed quia corpus humanum erit totaliter subiectum animæ rationali.*

1966 *Apparebunt in Sanctorum Martyrum corporibus vulnera & cicatrices, neque tamen si qua amputata sunt membra, ipsis carebunt, quia dictum est, Capillus de capite vestro non peribit.*

1967 *Impassibilitas secundum se pure considerata æqualiter erit in om-*

nibus

nibus corporibus, sed ex parte causæ scilicet dominij animæ super corpus, quod sequitur quantitatem gratiæ, maior est in vno quàm in alio.

1968 *Prima dos corporum gloriosorum erit subtilitas, non qualis est in Spiritualibus substantijs, neque similis illi quæ est in aere; sed propter completissimam corporis perfectionem.*

1969 *Poterunt corpora gloriosa coexistere in eodem loco cum corporibus non gloriosis non propriæ virtute subtilitatis; sed Diuinæ operatione virtutis.*

1970 *Corpora gloriosa non erunt in maiori, & minori loco ad placitum voluntatis, neq; per augmentum & diminutionẽ partium circa eandem materiam; neque per partium in seipsas subintrationẽ; sed coarctabuntur semper ad æqualem locum.*

1971 *Corpora Beatorum habebunt dotem agilitatis effluentem à gloria animæ redundante in corpus, quod ei erit subiectum vt motori, & vt formæ.*

1972 *Etiamsi unumquodq; corpus gloriosum habiturum sit locum sibi conuenientem secundum mensurã dignitatis suæ: tamen poterunt à proprio loco dimoueri sine amissione huius præmij accidentalis.*

1973 *Corpora glorificata non transibunt de loco ad locum sine medio, sed tempore imperceptibili; ita tamen vt præstantiora citius alijs moueantur.*

1974 *Agilitati corporum beatorum adiungetur claritas, cuius causa erit redundantia gloriæ animæ in corpus; ita vt quemadmodum per vas vitreũ cognoscitur corpus inclusum; ita ex splendore corporũ claritas animarum declaretur. Neque tamen proinde fiet vt non sint pellucida, & diaphana, & ideo non occultabunt corpora post se posita, neque tolletur naturalis corporis color; & huiumodi corpora etiamsi sole sint futura clariora; poterunt tamen mortalibus non glorificatis oculis sine miraculo, & offensione videri; nisi obstet voluntas beatorum.*

1975 *Damnatorum corpora resurgent integra integritate magnitudinis, sublatis etiam omnibus defectibus ex debilitate & corruptione prouenientibus, vt ægritudine, lippitudine, & similibus; sed cum ijs defectibus, qui ex naturalibus principijs in humano corpore naturaliter consequũtur, qualis est põderositas, & passibilitas*

1976 *Tunc quilibet non modo hominum, sed etiam Angelorum videbit omnia cuiusque peccata, siue damnati, siue sancti, neque tamen sancti erubescent de proprijs peccatis. Tunc autem omnia merita tam propria quam aliorum vnusquisque non in instanti; sed breuissimi spatio temporis, & vnico intuitu enumerabit, & ponderabit.*

1977 *Iudicium quoad discussionem, & accusationem malorum, & commendationem bonorum, & sententiam de vtrisque ferendam futurum esse successiuè non in instanti probabilius iudico.*

1978 *Christus solus iudicabit per auctoritatē, cōparatiuè verò tā boni quàm mali alios iudicabunt: quidā vero præcellentes sanctitate viri iudicabunt latæ sententiæ iustitiam declarando, vel per modum locutionis, vel per modum illuminationis. Sancti vero Angeli non erunt iudices in iudicio, sed ministri testificantes hominum vel peccata, vel merita.*

1979 *Boni vero qui non peccarunt mortaliter non iudicabuntur per discussionem meritorum, neque mali infideles, sed soli fideles, neque Angeli, neque Dæmones.*

1980 *Christus Dominus in iudicio apparebit in forma humana cum corpore glorioso, in quo tamen apparebunt cicatrices passionis, & apparebit signum filij hominis, scilicet Crucis.*

1981 CONSVMMATIO SAECVLI *consequetur Iudicium restabunt enim sola corpora simplicia cum corporibus beatorum, ac damnatorum, & igne infernali, deletis omnibus mixtis animatis & inanimatis, perfectis & imperfectis.*

1982 *Damnati omnes in infernum demergentur, & ibi non solum ignis pœna punientur; sed etiam quicquid est ignobile, & fœculentum erit eis in pœnam iuxta illud: Ignis, sulphur, spiritus procellarum pars calicis eorum.*

1983 *Si quod dicitur Lucæ 13. Ibi erit fletus, & stridor dentium materialiter intelligatur, non est existimandum damnatos lacrimas emissuros, nisi id diuino miraculo fiat; sed vehementissimos dolores corporales esse passuros.*

1984 *Damnati in inferno non poterunt appetere non esse per se; sed tantum vt ablatiuum pœnalis vitæ, et sic intelligitur illud, In diebus illis desiderabūt homines mori, & fugiet mors ab eis: dolebunt autem de felicitate beatorum, & cupient omnes in infernum demergi*

mergi, etiam propinquos & quos in hac vita dilexerunt, minus tamen hos quàm alios.

1985 *Neque damnati, neque vlla creatura potest odio habere Deum vt Deus est; ipsi tamen odio habebunt Deum, vt punitorem.*

1986 *Ipsi recordabuntur eorum, quæ cognouerunt in vita neque tamen vllam ex eorum cogitatione percipere poterunt delectationẽ, etiamsi fuerint delectabilia.*

1987 *Ante Iudicium existentes in inferno vident gloriam beatorum cogitando eos esse in gloria quadam inæstimabili, & turbabuntur.*

1988 BEATI *qui erunt in patria absque suæ beatitudinis præiudicio uidebunt pœnas damnatorum & non miserebuntur, nec per modum passionis, nec per modum electionis; sed gaudebunt de pœnis damnatorum non per se, sed considerando diuinæ iustitiæ rectitudinem, & suam ab eis liberationem.*

1989 *In beatis hominibus erunt dotes, quæ sunt perpetui animæ, & corporis ornatus vitæ sufficientes, in æterna beatitudine perseuerãtes; in Christo vero erunt dotes materialiter, sed non formaliter.*

1990 *Tres erunt animæ dotes, Visio respõdens Fidei, Fruitio Spei, Dilectio Charitati, non per modum actus transeuntis; sed per modum habitus permanentis.*

1991 *Dotibus accedent Aureolæ: est autem Aureola quoddam gaudium de operibus à se factis, quæ habent rationem victoriæ excellentis distinctum à gaudio de coniunctione ad Deum, quod dicitur Aurea.*

1992 *Fructus Beatorum erit gaudium quod habebunt de ipsa dispositione operantis secundum gradum spiritualitatis, in quem profecit ex semine verbi Dei fugiendo carnalia. Est autem triplex primus Virginitatis, alter Viduitatis, postremus Continentiæ Coniugalis.*

1993 *Virginitatis Aureola non debetur omnibus actu integritatem corporis seruantibus, neque solis ijs, qui Virginitatem vouerunt, sed ijs solis, & omnibus qui perpetuo propositum habuerunt seruandæ Virginitatis.*

1994 *Martyrij Aureola donabuntur quicunque propter Christi nomen mortale vulnus acceperint, etiamsi superuixerint: item quicunque propria negligentia non tamen culpabili moriuntur, ita tamen vt prima mortis occasio sit à Tyranno.*

Aureola

1995 *Aureola Martyrij debetur omnibus Martyribus, siue cum, siue sine proprio actu voluntatis propter Christi nomen interfecti fuerint: ex quo apparet sanctos Innocentes fuisse veros Christi Martyres.*

1996 *Doctoribus etiam, hoc est Theologis propria debetur Aureola, non modo ijs, quibus ex officio iniunctum est prædicare Euangeliũ; sed omnibus legitime docentibus, & prædicantibus, & scriptis tradentibus sacram Doctrinam in ædificationem Ecclesiæ: Prælatis verò nisi actu prædicauerint, non debetur Aureola.*

1997 *Etiamsi Christus Dominus verè fuerit Virgo, Martyr, & Doctor, neque tamen ipsi debetur Aureola, sicut neque etiam Angelis, etiamsi fuerint Virgines, & Doctores.*

1998 *Aureola erit propriè in anima in potentia voluntatis, & per redundantiam in corpore; ac primo quidem modo confertur Beatis etiam ante diem Iudicij; secundo verò tantum post diem Iudicij.*

1999 *Vnus alio eiusdẽ virtutis, exempli gratia Virginitatis Aureolam excellentiorem habebit, non ex parte radicis, scilicet Aureæ; sed ex parte operis: & ideo duarum Virginum, quarum illa habet Auream præstantiorem, hæc poterit habere excellentiorem Aureolam quàm illa.*

2000 *Simpliciter perfectissima est Aureola Martyrum; quantum verò ad pugnæ diuturnitatem, & vicinitatem, Aureola Virginum; sed quantum ad ea, de quibus est pugna, præstantissima est Aureola Doctorum.*



Finis Theorematum.



PROBLEMATA THEOLOGICA.

1 TRVM in Deo sit velleitas formaliter an eminenter.

2 Vtrum æternitas participata sit distincta mensura ab æternitate imparticipata.

3 Vtrum Columba, cuius sub specie Spiritus sanctus apparuit, fuerit animal.

4 Vtrum Angelus inferior perfectius cognoscat Deum per cognitionem sui ipsius quàm per cognitionem superioris Angeli.

5 Vtrum Lucifer sit subiectum æui, quo mensurantur omnes Angeli, ac Dæmones.

6 Vtrum Paulus in raptu viderit diuinam essentiam.

7 Vtrum sit peccatum dicere; Nisi diuina lex prohiberet; furari vellem.

8 Vtrum Si homo fuisset conditus in puris naturalibus, ad remissionem peccati contra præceptum naturale tantùm, sufficeret sola rectitudo naturalis.

9 Vtrum, Si quis existens in gratia oret pro alterius resurrectione spirituali; & antequam hic resurgat, ille labatur; mereatur de congruo eius reparationem.

10 Vtrum Beati per suas orationes mereantur nobis de congruo iustificationem.

11 Vtrum Fides Theologica sit perfectior Spe.

12 Vtrum sit habitus timoris seruilis.

13 Vtrum Charitas sit perfectior Gratia.

14 Vtrum sit maius beneficium, Incarnationis nè, an Eucharistiæ.

15 Vtrum omnia obiecta scientiæ infusæ Christi vnica specie repræsententur.

16 Vtrum Beatissima VIRGO in hac vita viderit diuinam essentiam.

17 Vtrum Confirmatus ante Baptismum fluminis sit iterum confirmandus.

Vtrum

18 *Vtrum Christus in Sacramento Altaris existens proprijs oculis & auribus videat & audiat circunstantes.*

19 *Vtrum Christus dederit Apostolis duos Characteres Sacerdotales, vnum consecrandi, alterum absoluendi.*

20 *Vtrum Christus in extremo Iudicio iudicaturus sit viuos, qui nunquam mortem gustauerint.*



R O M AE,

Apud Bartholomaeum Bonfadinum.

M. D. LXXXIX.